SYNOPSIS
ANTIQVITATVM HEbraicarum, ad explicationem vtriusque Testamenti valde necessaria.

AD FACILIOREM INTELLECTVM, PLVRIMA SVNT COLLATA CVM REBVS HODIE IN VSV.

Authore

THOMA GODWINO *in Art. Magistro.*



OXONIÆ,
Excudebat Josephus Barnesius. 1616.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, *AC HONORATISSIMO ECclesiæ Præsuli*, *Domino Doctori* JACOBO MONTAGVE, *providentiâ divinâ* BATHON: & WELLEN: Episcopo, & Regij Sacelli Decano, Domino suo plurimùm colendo.

REVERENDE IN CHRISTO PATER,

MIRARI potes, quâ fronte ausim Antiquitates has, verbis obsoletis, tanquam totidem detritis pannis vestitas, in famulatum obtrudere tibi, quo Athenas ipsas credo fuisse minus Atticas, & Iudeos ipsos in suis ipsorum antiquitatibus minus gnaros: Certè quidem iudicij tui aciem valde formido, statui vtcunque aleam subire, et nauim soluere. i. singularem meam erga te obseruantiam, si aliter fieri non possit, cum nominis naufragio testatam facere; imò mihi fas erit portum similiter tutum sperare, modò tu (Præsulum amplissime) digneris, summa mea vela, libri intelligo frontispicium, nomine tuo honoratissimo ornare. Si aliquoties in dictionem minùs

vsitatam, tanquam in scopulum aliquem infamem impegero, noli, quæso, dememinisse, quòd cursus nequeat esse expeditus in campo salebroso, nec omnis de re quacunq; oratio, filo vult contexi Ciceroniano. Vestis licet non faciat Gallum, at Gallum Gallica magis decet: Rebus antiquis, quid ni vestis simplex, & antiqua (decora modò sit) quàm bullata, magis conveniret? Te item eum esse constat, qui non moraris aucupia verborum, rem magis attendis: In eruendis rebus igitur, vetustatis pulvere & situ obsitis, mea opera si tibi non videatur inanis & irrita, si Theologiæ candidatis non inutilis, suscepti laboris nunquam pænitebit. Quod vnum reliquum est (si enim tua tempora vlteriùs morarer, in mores committerem) rogo, oro, obtestor Deum Opt. Max. vt Ecclesiæ, & Reipublicæ, quàm diutissimè superesse & prodesse possis. Datum Oxon. pridie Iduum Januarij.

Amplitudini tuæ deditissimus ac devotissimus Sacellanus,

THOMAS GODWINVS.



LECTORI SALVTEM.

Beneuole Lector,



Go cùm primùm musis sacratioribus animum appellerem, passim scripturarum hæsitabam, & ob inscitiam in antiquitatum Hebraicarum memorijs, noui, qui tertiâ quâq; paginâ suboriebantur scrupuli, moram iniecerunt. Mihi his angustijs laboranti, in memoriam venit Reipub: Hebraïcæ à Carolo Sigonio delineatæ, quem sperabam, hîc, vt alibi, in antiquitatibus eruendis, vtramq; impleuisse paginam: Res autem euenit multò aliter quàm sentiebam: nā præterquàm quòd illius scripta Papicolam olēt, de multis antiquitatibus nulla, de nullis omnia, quæ dici debuerant, locutus est. Nullâ igitur interpositâ morâ, Ariam Montanum de fabricis sacris, Aarone, & id genus alijs scriptitantem; item Hospiniani, Iosephi, & Philonis omnes antiquitates, & interpretes plurimos, tum veteres, tum recentiores grandi pecuniâ comparaui; è quibus, hoc, quicquid est, *Antiquitatum* desumpsi, & jam concinnatum tibi lectitandum exhibeo. Si quid occurrat, quod tædium tibi excutiat, quod nodos in lectione scripturarum obuios expediat, validè gaudeo; occurrent autem plurima (expertus loquor) si attentè legas. Quin imò deesse fortasse dices, quæ maximi sunt ponderis &

pretij, *Pondera* scil: & *Nummos*; rem dixti, sed in causa erat libellus biennio ab hinc editus ab Eduardo Brerewood de *Ponderibus* & *Nummis*. Ea erat illius viri & operis præstantia, & tot decempedis ego homuncio infra illum subsido, vt non ausim telam ab illo textam retractare; nè tamen illius libri desiderentur exemplaria, calci hujus opusculi adtexui tabellam, quæ continet nummos omnes, quorum sacra pagina meminit, idq; cum ijs collatos, qui nobis hodiè sunt in vsu. Vale. *Datum Oxon: pridiè Idu-um Ianuar.*





Lib.
- 1. Sect.
  - 1 De populo Israëlitico.
  - 2 De locis Sacris.
- 2. Sect.
  - 1 De diebus Festis.
  - 2 De Sacrificijs.
  - 3 De personis Sacris.
- 3. Miscel. Cap.
  - 1 De Pharisaeis.
  - 2 De Sadducaeis.
  - 3 De Essaeis.
  - 4 De Gaulonitis.
  - 5 De Hemerobaptistis, & Herodianis.
  - 6 De re Vestiariâ.
  - 7 De typicâ vestium sacerdotalium significatione.
  - 8 De Iudicijs.
  - 9 De mensuris Hebraïcis.





SYNOPSIS ANTIQVITATVM HEBRAICARVM.

LIB. I. SECT. I.

DE POPVLO ISRAELITICO.

CAP. I.

Quo primùm tempore, & quâ potissimùm ratione, cæperunt vocari Hebræi, Israëlitæ, & Iudæi.



VT Judaïci populi historia ab ipso primo ovo, quod dicitur, penitùs evoluatur, non alienum censeo, in ipso operis vestibulo quędam præfari de varijs nominibus huic populo inditis: E quibus, quamvis constet apud omnes autores, nomen Hebræorum fuisse primum, de nominis ratione tamèn nondum inter illos convenit.[a] Sunt quibus visum est *Hebræos* dici, quasi *Abrahæos*, ab *Abrahamo*, qui omnium fidelium communis pater habetur. Alij etymologiam petunt ab עבר *Heber*, quod perinde sonat, ac transire; vel quia Abraham transivit Euphratem, quod [b] Pareus innuit: vel quia Arphaxad, quem Sem genuit, transivit Tigrim, quod [c] Sigonio videtur. Vnde interpretatur illud, *Gen.* 10. *Sem pater fuit omnium filiorum Heber*. i. inquit, omnium qui vltra flumen venerunt; & Nicolaus de Lyra aliquoties (hâc

a *August. quæst.* 24. *super Genes.*

b *Pareus comm. in Genes. ca.* 14.

c *Carol. Sigon. de rep. Heb. l.* 1 *c.* 1.

vt verisimile est ratione) vertit Hebræos, *filios transitus*. [d] Alij demum *Hebræos* dictos volunt, ab *Heber* [e] filio Sale. Mihi in medio est, vtri lector adhæreat, modò concedatur populum hunc à prima origine Hebræum appellari. Longo post tempore nomen Israëlitarum inditum erat, quod nomen primùm fluxit à Jacobo, qui à Deo Israël appellatus erat, & tunc temporis cœpit imponi vniverso populo, quando Iacob cum totâ suâ familiâ vixerat in Ægypto: partim coactus huc migrare ob magnas rei frumentariæ angustias, quibus Chananæa laborabat; partim ductus desiderio videndi Josephi, quẽ summis honoribus à rege Ægyptiaco jam affectum intellexerat. Et hinc puto totam familiam *Israëlis* dici *Israëliticam*, quemadmodum Romæ olim omnes Tito *Tatio* prognati, *Tatienses* dicebantur: hi scilicèt vt à Romanis, illi vt ab Ægyptijs nomine peculiari distinguerentur. Tandem quatuor seculis interjectis, cùm jam diu Jsraëlitę ingemuissent sub duro Ægyptiacę servitutis jugo, admirandam liberationem consecuti sunt per manum Mosis. Mosi autem defuncto successit Iosua: Iosuâ collecto ad patres (Deo sic præcipiente) ascendebat tribus Juda, tanquam dux Jsraëlitarum contra Chananæum, [f] quo tempore à *Iuda* duce, *Iudæorum* nomen adepti sunt.

d Hieronym. quæst. Heb. in Genes.
Ioseph antiq. lib. 1. ca. 7.
e Gen. 12. 24.
f Polydor. de invent. li. 4. cap. 1.

CAP. 2.

De duodecim tribubus.

ABrahamo querenti, quòd filiorum compos nō fuerat, & servum suum hęredem habiturus esset

(nam

(nam vxor ejus Sara erat sterilis) dixit Deus: *Suspice cælum, & numera stellas si potes; sic erit semen tuũ.* Quod oraculum, licèt fidem mereatur ob duos illos numerosos populos, Ismaëlitas, & Idumæos, quorũ vterq; è lumbis Abrahami & seminis ejus manavit; præcipuam tamen fidem vendicat in Israële, qui duodecim Patriarchas seu tribuum principes genuit: Nempe ex Lia vxore sex, *Ruben, Simeon, Levi, Iuda, Issachar* & *Zabulon*: inde ex ancilla Bala duos, *Dan & Nepthalim*: tum ex altera ancilla Zelpha totidem, *Gad* & *Aser*: postremò ex secunda conjuge Rachaële, *Ioseph* & *Beniamin*. Ex his Patriarchis profectæ sunt duodecim *tribus*, magis autem tredecim; quandoquidem in locũ Josephi, duo ipsius filij adoptati erant, *Ephraïm* scilicet & *Manasses*. Et quemadmodum singulis filijs Jsraëlis (Josepho excepto) *tribus* aliqua cognomine respondebat: sic duo Josephi filij cognomen indebãt suis tribubus, quarum altera appellabatur Ephraïm, altera Manasses. Præcipua ratio harum tribuum erat, vt certè sciretur, ex qua parte populi, ex qua etiã familia aut loco, Messias erat expectandus. Quarè etiam libros genealogiarum conservârunt, vt perpetuò constaret, ex qua tribu aut familia singuli progeniti essent.[g] Hos libros exustos fuisse post adventum Christi docet Illyricus. Illæ tredecim *tribus*, postquã sub ductu Mosis ex Ægypto egressæ essent, & jam quadraginta integros annos per desertum obambulâssent, tãdem trajecto Jordane, & Amorrhæis, Chananæis, Gergeseis, &c. vi armorum ejectis, terrã Chananæam in duodecim partes, sicuti Deus præceperat, dividebant. Cæterùm tribus Levi ab hac sortitione

[g] *Illyric. in sua clavi. vid. Tribus.*

jussu Dei submota erat, nempè quæ soli sacerdotio, idq; è tribubus sola vacaret: reliquæ quidem omnes agros habebant, & proventus largos. Quod ad Levitas spectabat, cautū erat, vt ex tabernaculo, decimis, primitijs, victimis & oblationibus alerentur, juxta il-

h Num. 1.47. lud, [h] *Levitæ in tribubus familiarum suarum non sunt numerati cum ijs*. Et illud. *Non est pars Levitis inter vos, quia ministerium Iehovæ est possessio eorum. Iof.* 18. 7. Quare tribum propriam non confecerunt, sed illi tribui ascripti, & illâ quasi civitate donati erant, in cujus finibus habitârunt. Vnde est, quòd sacra pagina, quoties de numero tribuum loquitur, duodecim eas esse dicit, non tredecim.

Cap. 3.

De populo Iudæorum, Ephraïmitarum, & Samaritarum sive Cutheorum.

APpositus est Salomon ad patres suos, & sepultus in civitate David; illi successit Roboam filius ejus, quo regnum jam suscepturò, eò quòd noluit consilio seniorum acquiescere, vno ore cla-

i 1. Reg. 12. 16. mabat populus, [i] *Quæ nobis pars in David, vel quæ hæreditas in filio Isay? vade in tabernacula tua Israël.* Quo

k 1. Reg. 11. 30. tempore juxta [k] propheticam scissionem pallij, duodecim *tribus* in duas partes erant divisæ; duæ nempe Iuda & Benjamin, Roboam Salomonis filium cooptârunt in regem: aliæ decem, ad Hieroboam filium Nabath (qui adhuc erat in Ægypto profugus à facie Salomonis) confluentes, illum regem constituerunt. At verò, quoniam Hieroboam ex tribu Ephraim

ortus

ortus erat, [l] & tribui huic præ cæteris autoritas eximia data erat à Deo; hinc hæ decem tribus, aliquãdo vocantur *Ephraïmitæ, Semen Ephraïm, & Ephraïm*: aliquando *Israël*, quoniam erant longè maxima pars populi Israëlitici. Pari ratione duæ alteræ tribus, Juda & Benjamin, ob hæreditatem permixtam, & ob amplissimas promissiones tribui Juda de sceptro factas, communi nomine appellantur *Iuda*. Vnde passim apud prophetas *Ephraïm* seu *Israël* significat decem illas tribus quæ Hieroboamo: *Iuda*, duas alteras, quæ Roboamo adhæserunt; & tunc temporis facta erat angustior hæc vox *Iudæi*, nec vt olim, vniversum populum Hebræum denotabat, sed solummodò duas has tribus. Regnum illud, cujus sceptrum gerebat Roboam, dicebatur regnum Judæorum: Regnum alterum, cujus gubernacula penes Hieroboam erat, regnum Ephraïmitarum. Horum regia sedes & metropolis, erat Samaria: illorum Hierosolyma. Ab hoc divortio, animi tum Iudæorum in Ephraïmitas, tum Ephraïmitarum in Iudæos, irâ adeò incaluerunt, & eo vsq; mutuis exarserunt odijs, vt subinde collatis signis, & versis gladijs depugnatum sit: & hinc communes vtriusq; regni hostes, recollectis animis & viribus, gravissimis bellis infestârunt vtrumq; populũ. [m] Anno nono Hoseæ regis Salmanassar rex Assyriorum cepit Samariam, & transtulit *Ilium in Italiam*, nimirum Israël in Assyrios; qui vt omnem defectionis metum adimeret, vniversis & singulis Ephraïmitis abductis, novam conscripsit coloniam, hominibus de regno suo hinc inde sumptis, quos ad Samariam deducendos curavit: ita vt de regno Ephraïmitarum

[l] Gen. 48. 19.

[m] 2. Reg. 17. 6.

jam jacta videbatur alea, & reverà erant conclamatæ spei. Hi autem novi coloni, novum induerunt nomē, & à regione quâ novissimè donati fuerunt, in sacra scriptura appellantur *Samaritæ*, à [n] nonnullis autem *Cuthei*, quoniam migrârunt ex eo tractu, qui ab amne *Cutho* denominatur. Cùm verò isti Gentiles (quos pro libitu Samaritas, vel Cutheos appellare licebit) deos patrios adorarent, spreto vero veri Dei cultu, immisit eis Dominus leones, qui interficiebāt illos: ad quam pœnam avertendam, accito aliquo è Iudæorum Sacerdotibus, verum Deum colere cœperunt, & legis Mosaïcæ ritum amplexi sunt; ita tamen, vt superstitionibus illis, quas in suis quiq; terris imbibebant, pertinacitèr adhærerent: & Mosaïcis ceremonijs Ethnicos ritus commiscerent, verum Deum colentes more peregrinarum gentium, è quibus commigrârūt. Seducti sunt posteà varijs erroribus à quodam Dositheo, [o] qui à Iudæis ad ipsos transfugit. [p] Solis quinq; libris Mosis in canonem receptis, reliquos reijciebant. Circumcisione vtebantur, Messiam venturum credebant, quia hęc Moses docuerat. Quoniam autem ritibus gentium ita penitùs adhęrebant, ea propter *Samaritani* apud Iudæos reputabantur, sicuti hodie [q] *Schismatici* aut *hæretici* inter nos; vt si quando Iudæi stigmaticum quempiam indigitarent, *Samaritanum* eum appellarent. Hinc est quòd Dominum nostrum Jesum Christum convicij gratiâ *Samaritanum* vocârunt: Et ob summum inter Judæos & Samaritanos odium factum erat, vt quando Iudæis potestas fieret reædificandi templum, noluerunt Samaritanos tanquam Ethnicos admittere in consortium.

n *Epiphan. hæres. lib. 1. Tom. 1. Ioseph. antiq. lib. 9. cap. 14.*

o *Epiphan. hæres. lib. 1. Tom. 1. Hieronym. advers. Lucif.*

p *Origen. Tom. 14. in Ioan.*

q *Cyprian. Epist. ad Magn. de Novat. bapt.*

tium. Anno octavo post eversum decem tribuũ regnum, Sanacharib bellum moliebatur adversus regnũ Judæ: verùm preces pii regis Ezekiæ, & prophetæ Isaiæ, eò vsq; apud deum valuerunt, vt exercitus Assyriorum victus erat, 185000. nocte vnâ trucidatis, non cuniculis aut machinis humanitùs inventis, sed manu angeli divinitùs ad hoc missi. At verò interjecto aliquot annorum intervallo, Iudęi pariter traditi sunt in manus diripientium, & captâ Hjerosolymâ, regiáq; concrematâ, à ducibus, quibus Nabucadonasar summam belli commiserat, omnes abducebantur in Babyloniam; non tamen in perpetuam captivitatem, quemadmodum Israëlitæ. Nam post septuaginta annos completos, quos prædixerat [r] Hieremias, *Dominus visitavit illos, & posuit erga eos verba sua bona, vt redirent in patriam*; eóque faciliùs regressum suum à Cyro Persarũ rege impetrârunt, quoniam rex Babylonius pro abductis Iudæis [f] nullam gentem in eam regionem reposuerat: item ob vaticinium illud *Isaiæ 45*, quo propheta non solùm liberationem futuram, sed ipsum nomen Cyri, [t] ducentis & decem annis ante ipsius ætatem prænunciabat. Populo tandem reverso in Judæam, templum per Zorobabelem, vrbs per Neemiam, & lex per Esdram restituebatur. Mox Antiochus Epiphanes Syrię rex, à nonnullis [u] ob furorem Ἐπιμανὴς dictus, vrbem Hierosolymorum cepit, libros Mosis & Prophetarum vndiq; conquisitos Vulcano vovit: proposuit edictum, quo verum Dei cultum Iudæis interdixit, & idolum *Iovis Olympij* in templo Dei collocavit. Dierum autem duobus millibus & trecentis .i. sex annis & sex mensibus complε-

r *Hierem.* 29.

f *Ioseph. antiq. lib.* 10. *cap.* 11.

t *Ioseph. antiq. lib.* 11. *cap.* 1.

v *Vid. Chronic. Carion. à Melan auct.*

tis, Iudas Macchabæus templum recuperavit, & debellatis hostibus effecit, vt civitas iterum florescere inciperet; donec pravo duorum fratrum, Hircani & Aristobuli dissidio, bella intestina suborirentur, quibus repub. diu divexatâ, tandem Herodes alienigena regnum fraude occupavit, & consecutus est, vt à Romanis renunciaretur *Rex Iudæorum*. Sub hoc tempus, credibile est Herodem fecisse Iudæam Romanis tributariam, ad ineundam majorem gratiam cum Cæsare; vnde non tam milites Herodis (cui sententiæ multi favent) quā secta quædam Iudæorum, qui contra Pharisæos & Gaulonitas assererent, tributa Cæsari solvenda, *Herodiani* dicti erant. In hanc ipsam ferè sententiam scribit [x] Hieronymus, qui postquam dixisset Herodianos fuisse milites Herodis, subnexuit, *seu quos illudentes Pharisæi, quia Romanis tributa solvebant, Herodianos vocabant*. Non multò post, Iudæi spe libertatis recuperandæ ducti, defectionem inibant; quam ob causam, à Nerone missus erat Vespasianus, cui summa belli contra Iudæos mandata erat. Nerone autem defuncto, vnanimi militum consensu Vespasianus salutabatur Imperator, qui compositis bellis civilibus, quæ Galba, Otto, & Vitellius excitârant, consilium inibat de bello Judaïco redintegrando. Novâ manu militum igitur conscriptâ filium suum Titum nullâ interpositâ morâ misit ad excidendam Hierosolymam. In quo bello adimplebatur illud Domini, [y] *Non relinquent in te lapidem super lapidem*. Non historiæ modò, fidem huic vaticinio fecerunt, sed quamplurimi extiterunt hujus desolationis oculati testes, & res ipsa sic clamat. Tota penè civitas

x Hieron. super Matth. 22. 17.

y Mat. 24. 2. Luc. 19. 44.

tas ab ipso Tito solo adæquata erat, cives trucidati, & ipsum templum igni consumptum: si qua rudera post tantam desolationem supererant, ea ab alijs principibus funditus subversa historiæ testantur. Et hoc notatu dignum, quòd vbi Judæi in reliquis omnibus captivitatibus liberationem tandem consecuti sunt, ita vt templum & civitas reædificarentur, jam nulla instaurationis reliqua spes est. Civitas tota sic penitùs delebatur, vt nulla jam appareant ejus vestigia, non cadaverosæ quælibet ruinæ, non cineres aut rudera; imò nemini hominum satis constat, vbi loci quævis ejus pars sita erat. Quòd omnis spes instaurationis præciditur, non tam fusè, quàm doctè probat [z] Divus Chrysostomus in tribus suis orationibus adversus Judæos, præsertim in secunda, vbi ostẽdit eos Spiritui S^to^ resistere, qui hanc instauratione moliuntur. Nam semel, & iterum, & tertiò inquit in oratione 3^a^, sub Adriano, sub Constantino, sub Iuliano, conatus illorum interrupti & irriti fuerunt. Hoc eò potissimùm notandum censui, quoniam illud sõnium [a] Bellarmini de sede Antichristi in Hierosolymis, in templo Salomonis, & Davidis solio futura, hinc enervatur. Præmonet apertè Spiritus S. quòd desolatio illa *ad* [b] *consummationem, & finem vsq;* perseverabit. Caveat Bellarminus, ne Spiritui S^to^ resistat, dum spem facit Iudæis, de templo in fine mundi reædificando vel inchoando saltem; in quo templo vtcunq; inchoato Antichristum sessurum docet. Habet Bellarminus de quo gaudeat apud Iudæos, quibus rem gratam admodum facturus est, si hoc planũ faceret, quòd templum Hierosolymitanum aliquan-

z *Chrysost. in tribus orat. adversus Iudæos.*

a *Bellar. lib. 3. cap. 13. de Rom. Pontif.*

b *Dan. 9. 27.*

dò tandem, vel in fine mundi restaurabitur. Ceterum has fæces, haustas ex Papia [c] *exigui sensus viro*, Irenæus qui credidit Papiæ, & alijs discipulis Ioannis, [d] *nec discussit an vera dicentibus crediderit*, Ecclesiæ primus propinavit. Explanatè prædicit Iesus Christus, inquit [e] Chrysostomus, templum *prorsus abolendum*, & in *perpetuam solitudinem* redigendum. In prima sua oratione habemus eum sic loquentem, & postquam singulari & admodùm apposita similitudine vsus esset, tandem subnectentem hanc clausulã. Sit igitur medicus ipse Deus, phiala verò civitas, sit ægrotus, morosus Iudæorum populus, deniq; frigida potio, sit victimarum permissio concessióque. Quemadmodum medicus fracto vase, ægrotum cohibet ab intempestivo frigidi potus appetitu: Sic & Deus *eversâ* civitate ipsa, & *funditus dirutâ*, vt *omnibus* facta sit *inaccessa*, Iudæos à sacrificiis abduxit. Sed Bellarminum ad Chrysostomi secundam orationem remittam, illius enim est provincia, quam illic vltrò in se cepit, *Perspicuũ* facere ex *prophetis*, neq; *civitatem*, neq; *templum vnquam posthac restituendum*. Videant interim quotquot sunt ejusdem cum Bellarmino farinæ, nè eò reipsa tendant illorum operosæ disputationes, [f] vt *Domini prædictionem mendacij convincant*. Proculdubio Theodoretus, qui Iulianum tantâ censura notavit ob reædificationem ab eo inchoatam, hos apostatas, qui ligones, falces, corbes. i. argumenta qualia qualia possunt, ad novam hanc extructionẽ indies afferunt, pari inureret notâ, si jam inter vivos esset. Quin autem, si vera sint, quæ suprà diximus, quomodò ergo est, quòd *Ælius Adrianus* dicitur illic

c *Euseb.lib.3. Eccles.hist. cap. vlt.*
d *Melch. Canus commun.locor. lib.3.cap.vlt.*
e *Chrysost. orat. 2.advers. Iud.*
f *Theod.Eccles. hist.lib.3.c.20.*

illîc loci cōdidisse novam civitatem, quam à cognomine suo *Æliam* appellamus? Sciendum igitur, quòd civitas illa nova ponitur in novo loco: non in priori, sed in vicino, inquit [g] Quadus. Nec farragine aliquâ testimoniorum hic opus erit, quia jam [h] mons Calvariæ intra civitatem est, quæ olim erat extra.

g *Quad. geogr. lib. 2. c. 35.*
h *Iansen. conc. evang. c. 110.*

CAP. 4.

De veteris Ecclesiæ triplice cive.

NOtandum hìc est, triplices fuisse cives veteris Ecclesiæ. Primò erant *Israëlitæ*, ex semine Israëlis progeniti, qui legem Mosaïcam amplectebantur, & circumcisionem, tanquam suæ religionis symbolum, in carne gestabant: de his dictum est in primo capite huius libri. Secundò erant *Proselyti*, hoc est, advētitij, qui ex Gentibus ad religionem Iudaïcam accedebant, & fidei suæ confirmandæ causâ, subjiciebant se circūcisioni, & reliquis ritibus Iudaïcis. Dicitur autē *Proselytus*, à Græco verbo προσέρχομαι .i. aduenio. Tertiò erant *viri religiosi*, cōversi ex Gentibus ad Judęos, salutarem de Deo doctrinam & promissiones de Messia nascituro amplexi; sed non circūcisi, quēadmodū Proselyti, neq; Iudaïcis ceremonijs adstricti, quia [i] in his libertas Gentibus concessa erat. Hujus generis erant, Naamā Syrus, Eunuchus Æthiops, & alij, qui *Act. 2. 5.* appellantur viri Εὐλαβεῖς, .i. Religiosi. Nec ego quippiam in sacris literis proditum reperio, quod obstat, quo minùs Simeonem inter hos *religiosos* ponamus. Nam de circumcisione ejus jure potest dubitari, cum nihil non dubium traditur

i *Vrsin. Catec. part. 2. quæst. 73 Melanchthon in Chronic. Carionis lib. 2. pag. 35.*

k Nicol. de Lyra in Luc. 2.
l Theoph. Ibid.

de ortu. [k] Erat, inquit Lyra, inter sacerdotes famosus. Non erat Simeon sacerdos, inquit [l] Theophylactus, sed homo deum amans. Galatinus existimat hunc Simeonem fuisse eum, qui à Judęis in Talmud dicitur Simeon Iustus; at hanc opinionem enervat, [m] Iansenius. Qualis fuerit Simeonis cõditio, inquit [n] Calvinus, nõ legimus, & fieri potest vt esset plebeius quispiam homo, & obscuræ famæ. Proinde non video ego, cur non eo sensu, de quo modò dictum est, appelletur ab Evangelista Ἐυλαβὴς: Luc. 2. 25.

m Jansen. conc. Evang. c. 10.
n Calv. Harm. Evang. Luc. 2. 25.

CAP. 5.

De Publicanis.

ERat quoddam genus hominum, qui apud provincias plerasq; omnes, pręsertim apud Judęos, ob insatiabilem avaritiam malè audiebant; hos non ausim in album civium Israëliticorum mittere: faciliùs putaverim, eos fuisse ab initio Romanos origine, Iudæis à senatu aut Cæsaribus quodammodò præpositos, ad exigenda vectigalia *publica* Romanæ civitati quotannis solvenda, quæ certo pretio hi redimebant: vnde *Publicani* in sacris & profanis literis dicuntur. Erant plerunq; equestris ordinis, idq; non ex infima classe, sed de [o] flore Romanorum equitum. Posteris seculis, credibile est eos habuisse varios famulos, ministros, ac procuratores per provincias ex illis ipsis gentibus, qui annuis his reditibus colligendis vicarias traderent operas. Ita vt dubium non sit, multos Publicanos Christi tempore Iudæos fuisse. Hi ad vnum omnes istiusmodi aucupijs vtebantur in

o Cic. orat. pro Planc.

expilan-

expilandis & emungendis hominibus, & quæstui injusto ita avidè inhiabant, vt hoc ipso nomine, infames & exosi essent omnibus. Horum multas fuisse *Societates*, patet ex Cicerone pluribus in locis: putà in singulis provincijs singulas. Ex his Romę vnus pręfuit,[p] *Magister societatis* dictus, qui curam omnem gereret tabularum & rationum omnium, quæ vndiq; ab ijs, qui Publicanorũ societati operas darent, Romam mitterentur. Hic porrò habuit quosdam *promagistros*, in singulis provincijs singulos, penes quos esset potestas in reliquos ejusdem provinciæ Publicanos. Hujusmodi *promagister* fortassis erat Zacchæus apud Judæos, qui ab Evangelistâ appellatur ἀρχιτελώνης, *princeps publicanorum*, vel *Magister Publicanorum*, quemadmodum Theodorus Beza vertit. Non me latet [q] Tertullianum, & alios plurimos contendisse, Zacchæum & reliquos omnes Publicanos fuisse Ethnicos; sed rectiùs [r] Hieronymus, qui probat tempore Christi plurimos extitisse Publicanos origine Judæos: & post hunc doctissimus ille [s] Casaubonus erroris fontem aperuit, & ex ipso Zacchæi nomine, quod purum putum Hebraicum est, Tertullianum refellit.

p *Carol. Sigon. de antiq. iure Rom. lib. 2. c. 4.*

q *Tertull. de pudic.*

r *Hieron. in ep. ad Damasum.*

s *Casaub. exerc. ad annal. Bar.* 13. 36.

LIB. 1. SECT. 2.

CAP. 1.

De locis sacris.



HOmines sunt ex majori parte ad ἐθελοθρησκείαν tam proni, vt illum cultum frigidum putent, & Deo parùm gratum, qui non plus minus sapit de figmentis superstitiosis in officinâ humani cerebri edolatis: quo morbo insaniæ, non Judæi modò, sed Romani Catholici diu laborârunt. Vnde tot fæces superstitionum in Judaïcam Ecclesiam olim, & jam in Romanam irrepserunt? nisi quòd Judæi pariter & Romani à verbo scripto resiluerunt, & constituerunt proram, quod aiunt, puppimq; salutis suæ in putidis traditionibus, quibus vt majorem fidem conciliarent, Patriarcharum, & Patrum nomina prętexuerunt. Deus autem vt morbo huic occurreretur, non solummodò de personis quas sacris præesse voluit, sed etiam de locis in quibus, & quo modo coli voluit, tulit sententiam, qnam literis consignatam nobis tradidit. Fateor quidem, quòd ab initio non reperio locũ quempiam præ cæteris à Deo designatum ad sacra peragenda, sed patresfamilias, [t] vt vulgò creditur, eorumq; primogeniti, remp: ecclesiasticam & politicã, in suis ipsorum familiis & priuatis domibus, administrabant, regumq; simul & sacerdotum officiis defungebantur. Ita vt suum cujusq; domicilium, esset sibi & familiæ suæ instar tabernaculi, aut sanctuarij alicujus,

[t] Zepper. lib. 3. de leg. Mosaic. ca. 6.

cujus. Quin autem, quamvis Sacræ literæ non prodűt, Deum elegisse vllum publicum locum, in quo præ cæteris nomen suum invocari voluit, antequam populum suum eduxisset ex Ægypto; certum tamen est, quòd à fœdere percusso inter Abrahamum & Abimelech, puteus ille (sive à juramento, sive à septem agnis) Beer-seba dictus, celebrabatur, vel locus accommodus, quo publicæ conciones haberentur, & sacrificia offerrentur. Ibi Abrahamus Dominum invocavit, Isaacus extruxit altare, & Iacobus jam migraturus in Ægyptum sacrificia immolavit, & illìc loci Deus dignatus est aliquoties præsentiæ suæ signa dare. At nec post adventum Iacobi in Ægyptum, constat nobis de loco quovis publico ad Dei cultum designato, antequam Israëlitæ hinc egressi, in monte Sinai mandatum de tabernaculo compingendo acceperant; cujus vice posteà Salomon Templum Hierosolymitanum extruxit; subinde extra Tabernaculum aut Templum, in summis montibus sub opacis arboribus, aut in delubris illic extructis, quæ illi *Excelsa* vocârunt, rem divinam faciebant. Quinetiam post reditum è Babylone, quædã sacella erant instituta, quas *Synagogas* appellârunt, quæ etiam remanserunt tẽplis dirutis & deletis. De horum omnium institutione, formâ, & vsu, ordine differemus.

CAP. 2.

De tabernaculo Mosaico.

POstquam Deus coràm & familiaritèr locutus esset cum Mose, & leges, quibus vterentur Israëlitæ,

tæ, jam sanxisset, pergebat præcepta dare de loco communi, in quem populus suus cōvenire posset, ad nomen suum invocandum, ad verbum audiendū, & sacrificia offerenda. Quoniam verò Israëlitæ nondum in suâ patriâ constituti essent, sed quasi in perenni transitu indiès vlteriùs progressuri, ea propter, dominus jussit Sanctuarium ejusmodi construi, quod pro arbitrio per partes compingi aut dissolui & quocunq; deferri potuit. Vnde hoc sacrum ædificium, quod in divinis literis aliquando *Sanctuarium*, aliquādo *Tabernaculum* appellatur, a [u] Iosepho nuncupatur *Templum portatile*; quoniam scilicet nullam certā aut fixam sedem habuit, sed provt temporis ratio postularet, ad diversa loca portabatur. Hujus domicilij formam, & vsum faciliùs consequemur, si eandem triverimus viam, quam nobis præivit Moses: Qui *Exod.26.* ab initio illius capitis, vsq; ad versum 33. in structura hujus tabernaculi totus occupatur; in quatuor reliquis versibus, præcipit de ordine rerum in ipso disponendarum. In ratione structuræ, duo membra sunt distinctè observanda. Primo, describitur tectum, sive operimentum tabernaculi, 14 versibus, quod quadruplex erat. Vnum constabat decem cortinis contextis ex * bysso, † hyacintho, purpurâ, & ¶ cocco, habentibus ad majorem ornatum Cherubim artificiosè acu depictos: harum singulæ vicenis & octonis cubitis longæ, quaternis latæ erant; ex quinque illarum simul consutis secundum longitudinem suam conficiebatur dimidium operimentum, viginti cubitis latum, & viginti octo longum; eadem ratio observata erat in reliquis quinque: postmodū

vtriusq;

u *Ioseph. antiq. lib. 3. cap. 5.*

* *Byssus est optimi & albissimi lini genus, apud Chaldæos appellatur Bus, vnde Græca & Latina vox byssus deducitur.* Arias Montan. in Aaron.

† *Hyacinthus referebat cæruleum colorem, quem Anglicè vocamus* Blew.

¶ *Coccus erat ruber color dibaphus, cuius nomen vulgare cremesinum est.* Arias Montan. de tabern.

vtriusq; quinarij oræ, seu extremi limbi loramentis & fibularum aurearum morsu ita committebantur, vt ex vtrisq; quinarijs conjunctis constaret primum integrum tegumentum, quod superiorem partem tabernaculi vnà cum tergo & parietibus obtegebat, & referente [x] Iosepho, minùs vno pede ad terram pertingebat. Alterum vtpote pluvijs, & inclementiæ cœli magis expositum, ex viliori constabat materia, nimirum ex vndecim cortinis de pilis caprinis factis: singulæ cortinæ habuerunt in longitudinem cubitos triginta, in latitudinem quatuor: harum quinq; connectebantur, atq; ita vnam partem tegumenti efficiebãt; & sex reliquæ ad eundem modum conjunctæ alteram tegumenti partem constituebant; vtraque pars autem colligabatur loramentis [y] ex eodem lino caprino factis, & per fibulas æneas ductis, vt inde fieret secundum integrum tegumentum. Quod, quia priori vnâ cortinâ. i. quatuor cubitis longius, & duobus cubitis latius erat, ex dimidio cortinæ redundabat ad posteriorem partem tabernaculi, & ex dimidio cortinę ad anteriorem, in lateribus ad terram vsq; protrahebatur. Vt veram horum operimentorum rationem teneamus, distinguenda est longitudo, pariter & latitudo *cortinarum*, à longitudine, & latitudine ipsius *tegumenti*; nam cortinæ longæ, constituebant latitudinem tegumenti; latæ autem, longitudinem ejus. Tertium operimentum, compositum erat ex rubricatis pellibus arietum, cujus justa dimensio literis non proditur: [z] non desunt tamen, qui existimant non totum tabernaculum eo coopertum fuisse, sed partem tantùm superiorem, elevatum fuisse dicunt

x *Ioseph. antiq. lib. 3. cap. 5.*

y *Fr. Iunius in annot. sup. Exod.* 26. 10.

z *Marbach. in Exod.* 26.

cunt in angularem formam, vt vtrinq; pelles pependerint, eâ ratione, quâ tegulis testaceis ædes nostræ operiuntur. Quartum constructum erat è pellibus taxorum, quæ imbrem non transmittunt, proinde pluuijs arcendis valde idoneum. Hoc tegumentum, vt extremum omnium, ita omnium maximum fuisse verisimile est. In Glossa ordinaria, dicitur fuisse constructum ex pellibus hyacinthinis; fortassis, quòd hyacintho, hoc est, cæruleo colore infectum fuit. Tradit enim [a] Iosephus, colores hujus tabernaculi non aliter micuisse è longinquo spectantibus, quàm si cœlum quis contueretur. Tegumentis descriptis, pergit Moses ad descriptionem parietum hujus Sanctuarij, qui quoniam ex *tabulatis* cõstabant, fecerunt locum, vt totum ædificium diceretur *Tabernaculum*. Alter parietum erat Australis, alter septentrionalis, & hi duo constituebant latera Tabernaculi; tertius, qui occidentalis erat dicebatur tergum tabernaculi, frons ejus versus orientem spectabat, vt sol oriens radios suos in illud immitteret, inquit Iosephus. At verò de his consulatur textus, vbi plenè & perspicuè satis de parietum ratione agitur. Hoc vnum dememinisse nõ oportet, quòd singulæ tabulæ, pariter & vectes, & columnæ, auro incrustabantur, vt *Sanctuarium* totũ ex auro videretur factum. Item, quòd duo appendebantur vela ad instar ostiorum, materiâ cortinis primi tegumenti respondentia. Primum appendebatur ad quatuor columnas deauratas, de cedris lectissimis constructas, & quatuor * basibus argenteis impositas. Hoc velo, tabernaculum in duas partes diuidebatur; Adytum illud intra hoc velum, dicebatur *Sanctum*

[a] *Ioseph. antiq. lib. 3. cap. 5.*

* *Bases erant mucronatæ imæ bastæ similes, & in terrã defixę, mortariorum modo cavum habentes locum quadratum, cui cardo immittebatur.* Ioseph. antiq. l. 3. c. 5. & Arias Montan. de tabernac.

ctum Sanctorum: & *Sanctuarium Sanctuarij*; reliquum tabernaculi extra velum, vocârunt *Sanctum*, & *Tentorium conventus*; sed aliquando, Tentorium convẽtus significat totum ambitum tabernaculi, continentem atrium pariter. Alterum velum in introitu appẽdebatur ad quinq; columnas, quo *Sanctum* occludebatur, & ab atrio distinguebatur; pluribus columnis hoc, quàm illud erat affixum: quoniam firmius hærere & consistere oportebat, ob frequentes sacerdotum introitus. Omnes enim Sacerdotes per hoc crebrò ad munia quotidiana obeunda, in *Sanctum* introibãt: per alterum in *Sanctum Sanctorum*, non nisi summus pontifex semel in anno ingrediebatur. Sequitur vasorum situs, absolutâ scilicèt tabernaculi descriptione; Ostenditur per quatuor vltimos versus prædicti capitis, quænam in eo collocari debebant, & quo ordine. In *Sancto Sanctorum* seruabatur *Arca fœderis*, cujus operculum, *Propitiatorium* nuncupârunt: Item *Thuribulum aureum*, quod patet ex autore *ad Hebr. cap. 9*. De quo, quoniam Moses nullam prorsus mentionem fecit, vel quàm paucissimis perstrinxit *Levit. 16.* hinc [b] Augustinus, nullo prorsus discrimine distinguendum putat ab *altari thymiamatis*; Vnde dupliciter impegit, 1° statuit locum hujus altaris suffumigatorij fuisse intra velum, in *Sancto Sanctorum*. 2° docet, quòd ingressus patuit in illud adytum sacratissimum, non soli pontifici, sed reliquis omnibus Sacerdotibus; in integro anno vnico tempore excepto, quo scilicet pontifex ingrediebatur per sanguinis aspersionem. Sed hâc in re, non solùm neoterici ad vnum omnes ab Augustino resiliunt; sed Patres, &

[b] *Aug. lib. 2. quæst. in Exod.* 133.

[c] omnes doctores Hebræi contrarium sentiunt. In *Sancto* posita erat ante velum *Mensa aurea*, duodecim panibus instructa, in parte aquilonari: ex adverso, in parte meridionali conspiciebatur *Candelabrum aureum*: in medio autem, intra vtraq; illa, ante velum & arcam stabat *Altare aureum thymiamatis*. Quod spectat ad laqueorum, vncinorum, & id genus vtensilium rationem, abundè cognoscuntur ex ipso textu, vt operæ pretium non fuerit ijs immorari.

c *Nicol. de Lyra in Exod. 30.*

CAP. 3.

De Atrio.

TAbernaculum illud, de quo modò erat sermo ([d] Josepho testante) in medio Atrij erat constructum. Atrium hoc quoad formā erat quadratum, rectangulum, non æquilaterum. i. quatuor habens rectos angulos, non quatuor paria latera: longitudo ejus erat centum cubitorum ab oriente in occidentem, latitudo quinquaginta à meridiè in septentrionem. Hanc aream, linteum à capitellis columnarum paribus intervallis defixarum ad bases dependens sepiebat: linteum illud appendebatur capitellis interventu clavorum, qui capita haberent curvata [e] ad instar ו literæ. Totius Tentorij formam faciliùs assequemur, collatione factâ ad nostra Templa, nec enim illis erat dissimile, nisi quòd, tentorij frons orientem, templorum autem occidentem spectat. Finge igitur, *Chorum* esse *Sanctum Sanctorum*; *Navim* ecclesiæ, *Sanctum*; & *cæmiterium*, *Atrium*.[f] Hanc ipsam collationem ipse etiam Bullingerus instituit. Ea-

d *Ioseph. antiq. lib. 3. cap. 5.*

e *Arias Mont. de Tabern.*

f *Bulling. in Heb. 9.*

Eadem erat totius lintei circumducti ratio: materia tota erat tapetium ex xylino internexo;ad ingressum autem atrij,aulæum pretiosum positum erat, opere phrygionico artificiosè confectum. Vsus hujus atrij apud Jsraëlitas erat, vt eo tanquam ad publicam aliquam *Parochiam* convenirent,rem divinam facturi, præsertim immolaturi victimas. Quinetiam, quemadmodum personarum, sic etiam rerum ad cultum pertinentium,suus erat cuiq; locus: vnde Moses præceptum etiam acceperat,de rebus nonnullis construendis,& in atrio collocandis. Primò,non procul à tabernaculo *aspersorium æneum* erat,quod scriptura appellat *Labrum*, basi ex eadem materia superimponebatur;2°,in atrio ponebatur *altare holocausti*, sic dictum ab holocaustis in eo offerendis.Ex suprà dictis, facilè quispiam intelligere potest, acceptiones harũ dictionum,*Tabernaculi*,& *Sanctuarij*, fuisse varias.Tabernaculum propriè dictum significat illam ligneam partem sacri domicilij, quæ ex tabulatis constabat; quo sensu nunquam, quod sciam, in sacris literis, & perrarò apud alios legitur:Synecdochicῶs,significat totum illud ædificium in duas partes interpositione veli distinctum:Καταχρηστικῶς demum,vnà comprehendebat atrium.Longè plures significationes hujus vocis occurrunt in scriptura;aliquando,significat privata illa & portatilia domicilia,quibus ambulatoria hęc respublica in deserto vtebatur: non raro,metaphoricè denotat corpus humanum, in quo tanquam in tabernaculo anima diversatur.*Sanctuarium*,propriè accipitur pro toto templo;at κατ᾽ ἐξοχὴν, significat duntaxat illam sacratiorem partem templi, quæ alias di-

citur *Sanctum Sanctorum*. Jam consequens est, vt de rebus singulis, eo prorsus ordine quo disponuntur in tabernaculo, breviter (quod moris est mei) agamus.

CAP. 4.

De arcâ fœderis, thuribulo aureo, mensâ duodecim panibus instructâ, candelabro, altaribus, & labro æneo.

DE *Arcâ*, quam sibi solij loco Deus delegit, locuturi, pauca quædam præmittemus de fabricâ, antequam ad ejus vsum descēdamus. Quod spectat ad fabricam, [g] præcepit Dominus, vt fieret de lignis cedrinis lectissimis, intrinsecus & extrinsecus laminis aureis vestitis: vulgò legitur de lignis *Sittim*, quæ vox non parum torsit interpretes: Septuaginta vertunt ξύλα ἀσήπτα, ligna imputribilia; Theodotion *Spinam*; [h] Hieronymus putat hoc genus ligni nō esse *spinam*, sed spinæ albæ referre similitudinem, quæ similitudo, intelligenda est de colore, & folijs, non de magnitudine; [i] alij sentiunt speciem *buxi* fuisse; [k] alij demum, idq; de linguâ Hebraicâ benè meriti, *cedri* speciem. Quæ cuiq; placuerit opinio, hanc per me licet amplectatur, suoq; hâc in re quisq; abundet sensu; ego interim, postremam opinionem vtpote à pluribus probatam secutus sum, idq; potissimùm hâc ratione ductus; quia nomen à genere arborum ductum, majorem injiciet historiæ lucem, quàm aliud aliquod petitum à loco aut sylvâ, in quâ hæ arbores nascerentur: mihi verò versimile videtur hoc genus ligni vocari Sittim, à loco quodam sic appellato, quo po-

g Exod. 25.
h Hieron. in Isa. 41.
i *Marbach. in Exod. 25.*
k *Fr. Iunius. passim. Arias Mont. de taber.*

pu-

pulus Iſraëliticus ad tempus morabatur. *Num.* 25. 1. Ad formam arcæ quod attinet, in longitudine habuit cubitos duos cum dimidio, in latitudine & altitudine cubitum vnum cum dimidio, ſummitatem limbus aureus ad modum coronæ circumibat, ita vt operculũ ſuum etiam concluderet: quatuor angulis arcæ quatuor annuli aurei appendebantur, per quos aurei vectes immitti debebant ad faciliorem ejus portationẽ; [1]portari enim Caathitarum humeris, non plauſtris vehi debuit. Cavit item Deus, ne vectes vnquam annulis extraherentur, ne vnquam ſacerdotes ſe arcæ ferendę curâ liberatos putarent. Vſus huius arcæ erat, vt in eam reponerentur hæc tria; *vrna aurea* habens manna; *Virga Aaronis* quæ fronduerat; & *tabulæ Teſtamenti*, quæ ab eo ſortiuntur *Teſtimonij* & *Teſtamẽti* nomen, quoniam teſtantur de voluntate Dei. Hujus arcæ operimentum fuit tabula quædam aurea, in cujus extremitatibus duo Cherubim poſiti erant, ex eodem auro productiles, qui expanſis alis tabulam tegerent, & oculis in propitiatorium defixis ſe mutuò intuerentur. Hæc tabula, ſive hoc operculum, aliquãdo obtinuit nomen *Propitiatorij*, quoniam eo, ſeu ſacramento aliquo certi reddebantur Jſraëlitæ, quòd Deum ſibi præſentem, eundemq; *propitium* haberẽt: aliquando vocabatur *Oraculum*, ſeu λαλήςιον. i. *Locutorium*, de quo, tanquam ex tripode Deus orbi locutus eſt, dicitur Hebræis כפורת Caphoreth, à verbo *Caphar*, cui operiendi & propitiandi ſignificationes aptè reſpondent. Quid fuerint Cherubim, non tam obſcurum videtur, quàm quæ fuerit eorum figura; duorum angelorum ſpecies fuiſſe, ad ſignificanda angelorum

1 *Joſeph. antiq. lib. 3. cap. 6.*

lorum ministeria qui Deo semper sunt præstò, propemodùm omnes consentiunt: volunt autem aliqui, eos fuisse quasi pueros alatos; alij כרוב Cherub, dicunt Hebræis fuisse nomen quamvis figuram exprimens. [m] Josephus scribit eos fuisse animalia volatile habentia figuram, quæ à nullo vnquam homine conspecta fuerant, [n] præterquam à Mose, qui in Dei solio ea viderat figurata.

[m] *Ioseph. antiq. lib. 3. cap. 8.*

[n] *Ioseph. antiq. lib. 3. cap. 6.*

Thuribulum erat vas quoddam aureum, in quo adolebantur thura; fortasse formâ non multum absimile vasis nostris suffumigatorijs. Vsus ejus erat, vt pontifex in eo faceret suffitum aromaticum, quando intraret in *Sanctum Sanctorum*.

Sequitur *mensa*: hæc materiâ suâ, & altitudine, cōvenîebat cum arcâ; discrepabat verò in longitudine, & latitudine. Hujus longitudo duorum cubitorum erat, & latitudo vnius: limbus aureus quatuor digitos latus illius extremitatem claudebat, ne quid temerè decideret: quatuor pedibus fulciebatur, quibus quatuor annuli additi locum vectibus inserendis præbebāt. Vsus ejus erat, vt instrueretur 12 *panibus facierū*, seu προθέσεως, vt Græci dicunt, i. *propositionis*, quia semper præstò esse debebant, & poni in conspectu Domini, cujus habitaculum erat *Sanctuarium*. Non fas erat veteres panes auferre, priusquam alij recentes in illorum locum substituerentur: auferendi item erant non nisi diebus sabbati, idq; à nullis alijs præterquam sacerdotibus, quorum in vsum cedere debebant. [o] Philo dicit salem solere etiam apponi; sin autem mos istiusmodi invaluit apud Iudæos, autoritate divinâ non nititur, sed fluxit potius ex traditionibus

[o] *Philo Iud. l. 3. de vita Mosis.*

illis

Iudaïcis, quas Græci *Δευτερώσεις* vocârunt, quasi secundarias leges: quemadmodum hodiè, plurimæ superstitiones nomine apostolicarum traditionum ementitæ obtruduntur Ecclesiæ. Ex ijsdem traditionibus docet p nos Arias Montanus, hos panes in arcæ opertæ formam fuisse confectos. p *Arias Mont. de fabricis sacris.*

Candelabrum, ex auro puro fieri debuit, ductile erat, non fusile; constabat vno stipite seu trunco, è quo procedebant vtrinq; tres calami ad similitudinem ramorum, ejusdem altitudinis cum stipite: in singulis calamis, formabantur tres calices in speciem nucis amygdalinæ, certis intervallis distincti, & in summitate, singuli habebant sphærulam ad formam pomi, flore ex eadem sphęrulâ prodeunte, cui superimposita lucerna erat. In trunco quatuor erant calices pari intervallo distincti, sphęrulæ ejus, & flores ejus. In cādelabro toto septem lucernæ, vna in stipite, tres vtrinq; in calamis. Vsus ejus erat ad sustinendas lucernas: Lucernarum autem ad illustrandum *Sanctum*, nā de fenestris in tabernaculo, per quas intromitteretur lumen, non legitur.

Moses docet duo altaria fuisse in tabernaculo extructa, vnum *altare thymiamatis* vocatum, alterum *holocausti*: hoc positum erat in *Atrio*, illud in *Sancto*: in illo mane & vesperi suffitum fieri oportebat, in hoc holocausta offerri: de hoc agitur *Exod. 27.* de illo *Exod. 30* Vt ordiamur ab altari holocausti, ejus consideranda materia, magnitudo, figura, craticula, cornua, & vsus. Ad materiam quod spectat, fieri debuit è lignis cedrorum lectissimis, æreis laminis obductis, ne ab igni corripi posset quando sacrificia combu-

rerentur: erat magnitudo sua, ex longitudine quinq; cubitorum, totidem latitudine, altitudine trium: figura illius erat quadrata, & concava, carens operculo & fundo, at verò vice operculi, habuit in medio cavi sui ambitus craticulam æream, quatuor pedibus suffultam, habentem quatuor annulos ad quatuor ejus angulos constitutos, per quos poterat inferri in aram, & efferri multò expeditiùs, pertusam etiam parvis foraminibus ad modum cribri vel retis; per quæ foramina, cineres, & sacrificiorũ sanguis decidebant; quòd si ampliora fuissent foramina, potuissent item ligna, carbones, aut carnes decidere. Vice fundi erat vas quoddam instar palæ ad recipiendos cineres, ne in terram decidentes pedibus conculcari poterant. Ex quatuor angulis altaris quatuor prominebant cornua, ex eâdem ipsâ materiâ productilia, ad quæ victimæ alligandæ erant, juxta illud: *Ligate agnum funibus ad cornu altaris, Ps. 118.* Altare factum erat cavum, vt pondus ejus minus molestiæ pareret portaturis: hujus asportationis gratiâ, vectes etiam per annulos duobus lateribus altaris affixos transmittebantur. Vsus ejus erat, vt in eo *Iuge sacrificium*, & cæteræ oblationes, vel reconciliationis, vel gratiarum actionis causâ offerrentur. Quod ad nominis rationem attinet, figuratè dicebatur *altare holocaustorum*, non enim integræ victimæ tantùm in eo exustæ erant, sed etiam partes duntaxat.

In *altari thymiamatis* consideranda magnitudo, ornatus, situs, & vsus ejus. Magnitudo erat cubitalis in longum & latum, bicubitalis in altum. Ornatus spectabatur in cornibus .i. quatuor prominentijs ad ejus

ejus angulos ob majorem ornatum constitutis: & in limbo aureo ad instar coronæ superiorem partem cingente; nec non in annulis aureis, vnà cum vectibus deauratis. Situs ejus erat in *Sancto*, inter candelabrum & mensam ad occidentem, ante velum, quod *Sanctum Sanctorum* à *Sancto* distinguit. Vsus duplex erat, vnus, vt adoleretur in eo quotidiè bis incensum, seu suffitus aromaticus, nimirum mane & vesperi: alter, vt semel in anno, in festo scilicet propitiationis, cornua illius sanguine piaculari conspergerentur; vtrumq; munus obire, non cuilibet sacerdotum sine discrimine, sed q soli pontifici maximo licebat. q *Levit.* 10. 2.*Paral.* 26.
In vltimo loco expendere mutuam symmetriam inter vtrumq; altare operæ pretium futurum arbitror. Vt enim ex quotidiano suffitu, Israëlitæ admoniti erant sacrificia sua non aliter placere Deo, nisi suavi precum quotidianarum odore essent perfusa: ita ex aspersione sanguinis, quo altare semel in circulo anni erat repurgandum, discebant; preces non aliter bonũ odorem habituras, nisi in sacrificio & sanguine piaculari essent oblatæ. De instrumentis separatis, tum ad altaria, tum ad ministerium totius tabernaculi, amplissimè dictum est à Mose; & ex ipso eorum nomine satis cognoscuntur: lebetes parati erant ad exportãdos cineres, crateres ad fundenda libamina, fuscinæ ad movenda sacrificia, & id genus alia vtensilia, quibus nihil est, cur valdè immoremur.

De formâ aut fabricâ *labri* nihil prorsùs produnt sacræ literæ, jubent solummodò, vt fieret ex ære, & collocaretur in Atrio inter *altare holocausti* & *Sanctuarium*. Vsus ejus erat, vt aqua in illud mitteretur, quâ

victimarum intestina, & ipsæ partes carnium comburendarum abluerentur; item vt sacerdotes, manus & pedes suos eâ perfunderent, ne manibus aut pedibus illotis (quod in adagio est) ad tractationem mysteriorum divinorum accederent. Moris enim erat apud veteres, non solùm ad innocentiæ, sed etiam ad reverentiæ testificationem manus in ipsâ operis aggressione lavare. In signum innocentiæ testatur scriptura, Pilatum ejusmodi lotione vsum fuisse. Et [r] Aristeas vetustissimus scriptor, narrat septuaginta Seniores, qui vertendis libris sacris operas navârunt, solitos priusquam ad lectionem se accingerent, manus lavare, cujus rei causam cùm aliqui postularent, declarabant (inquit Aristeas) signum id esse, nihil à se mali fuisse admissum: in reverentiæ signum hujusmodi lotionem fuisse institutam, nemo sciolus est, qui non didicit ex profanis historijs.

r Casaubon. ad annal. Bar. exerc. 16. 75.

CAP. 5.

Tabernaculi, & vasorum in eo repositorum ad veritatem reductio.

Visum est Deo, populum Jsraëliticum plus æquo rebus terrenis deditum, non nisi terrenis figuris & typis, ad cognitionem reconditorum de vero Messiâ mysteriorum quasi manu ducere; quare, quotiès divina hæc mysteria in Vet: Testamento occurrunt, non nudo cortici nobis immorandum est, sed mysticum sensum attendentes latentem nucleum eruere debemus: nimirùm omnia ad Christum & ecclesiam suam revocare. Si enim ceremoniæ illæ, quibus

bus vestita erat Judæorum religio, aliò spectâssent, quàm ad Christum, non magis gratæ fuissent Deo, quàm histrionicæ gesticulationes in theatris, aut Siculæ gerræ ad movendos cachinnos. Quid enim ad exarmandam Dei iram, vel hircorum sanguis? vel adipis suavitas? vel aromaticus suffitus? vel ardentes lucernæ poterant? Nec tamen omnia, temerè & sine delectu ad mysterium trahenda sunt, sicuti multi perperam arguti, nullum quantumvis minutum apicem prætereunt, cui non allegoricam, pariter & anagogicam expositionem assuunt. In his igitur [f] rebus (vt scholasticorum more loquamur) aliæ spectantur vt res sunt simpliciter; aliæ vt sunt typus. Prioris generis sunt ea omnia, quæ ad materialem & externam fabricam pertinebāt, nempe materia, forma, numerus, situs, & instrumenta ad vasa pertinentia; quibus rebus procul dubio, Dei consilium non erat mysterium vllum includere: posterioris generis erant ea, quæ sequuntur. *Atrium*, in cujus longitudine & latitudine adumbrata erat amplitudo *ecclesiæ militantis*, quę longè lateq; per orbem terrarum sparsa est: quamvis enim coetus electorum (qui soli sunt *αυτονίμως* membra ecclesiæ) si conferatur cum reliquâ turbâ hominum, reverà potest dici *grex pusillus*; est tamen illorum numerus propemodùm infinitus secundum se consideratus. *Aderat turba multa, quam numerare nemo poßit, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: stabantq; ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis.* *Apoc.* 7.9. Atrium illud igitur, erat typus ecclesiæ per omnes terras propagandæ. Sed magis viva ejus imago erat sanctum illud domicilium ex ligneo

[f] *Fr. Iunius. analyt. expos. in Exod.* 26.

tabulatu & varijs cortinis constructum, & in medio atrij positum. Quare interpretes ad vnum omnes, re-ctissimè exponunt illud ardens desiderium Davidis, quo optabat in *Atrijs Domini*, in *domo Dei*, in *taber-naculis* habitare; dicentes illum in his precibus huc re-spexisse, vt inscriberetur civis in ecclesiam Dei. Non enim per *habitatula Dei*, intelligit externam structurá tabernaculi auro licèt incrustatam, nec vasa & orna-menta illa aurea, quorum splendore è plebe aliquis capi poterat; sed altiùs supra aleam plebeij captus e-vehebatur propheta, & ad excellentiam donorũ spi-ritualium, quam ornatus ille externus designabat, re-spexit. Voce tabernaculi elegantèr pingitur ecclesia. 1° sicut tabernacula transferuntur de loco in locum (non enim manent fixa in vno certo loco) Ita eccle-sia, non habet certas & stabiles sedes in hoc mundo, sed subinde cogitur eas mutare, estq; vita piorum perpetua peregrinatio. *Errant tanquam in solitudine et montibus. Heb.11.38.* Secundò, tabernacula nõ sunt munita valle, aut aggere vllo, quin tantùm ad subitas mutationes figuntur & refiguntur: ita ecclesia, foris non habet præsidia humana: vtcunq; tamen tugurio-lis illis defenduntur corpora nostra adversus æstum solis, & tempestatum iniurias: ita sub alis Dei expan-sis, tanquam sub tuto aliquo clypeo, ecclesia manet secura de telis ignitis, quę in eam à diabolo jaciuntur; manet inconcussa, quamvis vicinâ πανολεθρία videa-tur laborare. *Oves meas nemo rapiet ex manu meâ, in-quit Christus. Ioan.10. Non portæ inferorum prævale-bunt contra eam. Mat.16.18.* Tertiò, tabernaculi illius partes per veli interpositionem distinctæ, non erant

duo

duo contigua domicilia, sed vnum opus continuum: pari modo ecclesia illa Judæorum, & hæc Christianorum, in vnum spirituale ædificium aptantur; & vterq; populus coalescimus in vnam ecclesiam, ipso Christo facto angulari lapide. Bibebant Judæi de eâdem spirituali, quæ eos comitabatur petrâ, petra verò fuit Christus. *1. Cor. 10. 4.* Quin autem velū quoddam interpositum erat, nimirum illius temporis ratio postulabat, vt vetus illa ecclesia multis ceremonijs legalibus, quasi maceriâ aliquâ interpositâ à Christianorum ecclesiâ distingueretur: at verò, cùm Christus sol iustitiæ mundo affulgebat, vmbratiles illæ ceremoniæ dissipatæ erant, *velum templi scissum. Luc. 23. 45.* & *interstitium maceriæ dirutum. Ephes. 2. 14.* Obitèr meminisse oportet, quòd aliquoties ex sententiâ Autoris ad Heb: Christi natura humana per tabernaculum Mosaïcum adumbratur: sic etiam *Ioan. cap. 1. ver. 4.* dicitur de Christo, Ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Habitavit *inter nos*, vel magis ad verbum, *in nobis, vt in tabernaculo existens*. Restat vt ad vasa descendamus, in quibus exponendis, non moræ pretium duco, ostendere abscondita illa mysteria, quæ illi emunctæ naris viri, in vnoquoq; vncino & laqueolo olfacere voluisse videntur: sufficiet nobis ea solummodò tractare, quæ suam quasi in fronte gerunt significationem. Torqueant se scriptores per me licet, in excogitandis allegorijs de arcâ, & rebus in eâ positis: ego non ausim asserere, vsum ejus fuisse vllum alium, quàm quem [t] Chrysostomus nobis indigitavit. Πάντα ταῦτα σεμνὰ ἦν καὶ λαμπρὰ τῆς ἰουδαϊκῆς ἀγνωμοσύνης ὑπομνήματα. *Hæc omnia inquit, erant magnifica & præclara ingrati Iudæorum animi monimēta:*

[t] *Chrysost. in Heb. Homil.* 15.

ta: Et *tabulæ testamenti*, eas enim confregerunt:& *manna*, nam murmurârunt: & διὰ τῦτο, propterea, inquit, memoriam transmittens ad posteros, jussit eam reponi in vrnam auream. Ad hæc, *virga Aaronis* quę fronduerat (Deo sic præcipiente) reponebatur in signum rebellibus. *Num.17.10*. Arcæ operculū quod idem subinde vocatur *Propitiatorium* & *Oraculū*, puto reverà fuisse symbolum ipsius Christi, nam hæc omnia nomina magis nulli, quàm Christo conveniunt. Per illum tanquam ex sacro aliquo *Oraculo* Deus mūdo locutus est. Ille item ἱλαστήριον *Rom.3.25.* & ἱλασμὸς, *1. Ioan.2.2.1.* *Propitiatorium* & *Propitiatio* nostra est; idq; non alio modo, quàm quatenùs est *Operimentum* legis: Quamdiu enim lex prodit in mediū, vt ante oculos Dei versetur, iræ & maledictioni nos subijcit. *Cherubim* illi in extremitatibus propitiatorij positi, innuunt nobis angelos esse spiritus ministratorios, eosq; præstò esse ad nutum Dei; alæ suæ expansæ, significant eos quasi in procinctu stare, & sēper paratos esse ad exequendam Dei voluntatem: *Thuribuli* nullum alium fuisse vsum existimo, quàm vt aromatico suffitu fieret nubecula ad operiendum propitiatorium: quo signo edocti erant Israëlitæ, quàm formidabilis erat majestas Dei, cujus conspectus sacerdoti etiam lethalis futurus erat. *Altare thymiamatis* in *Sancto* positum, monebat Israëlitas nullum prorsus accessum patere ad Deum, nisi ijs solis, qui offerrent suas preces tanquam εὐωδίαν, & boni odoris hostiam; ita vt nequaquam suo defungerentur officio, qui nudo symbolo inhærerent. Hinc *Ps. 141.2.* *Ascendat coram te oratio mea, sicut suffitus, inquit,*

quit Propheta. Item *Ioan.* *Apoc.* 5. *Habebant phialas aureas plenas* θυμιαμάτων, *quæ sunt preces Sanctorum.* In medio mihi erit, vtrùm quis per *Mensam* intelligat ipsum Christum; & per duodecim panes, duodecim Apostolos, quam sententiam [u] Thomas amplectitur: an potius sentiat ex hoc ritu Israëlitas edoctos fuisse nihil aliud, quàm quòd alimenta sua quotidiana erant quodammodò Deo sacra, ita vt agnoscere deberent Deum suarum mensarum esse prȩsidem, quoniam totius populi, scilicet duodecim tribuum nomine panes illi in tabernaculo prostabant Domino: primitiarum ratio non erat dissimilis, in quibus consecrabatur totius anni proventus. Quod spectat ad *candelabrum,* nemini dubium esse potest, quin divini verbi virtus inde significabatur, quod lucē veritatis in pectoribus fideliū accendit, & omnes errorū tenebras, quibus humana mens solet offūdi, dissipat: sacra scriptura nimirum sola præfert lucem pedibus nostris, vt rectè ambulare coram Deo possimus. Hùc respexit propheta *Ps.* 119. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Sin quis mavult, per *lucernas* intelligere divinam lucem Spiritus S. in cordibus nostris accensam: & per *mensam* panibus instructam, ipsum verbum Dei, non moror; nam ex verbo Dei nemo potest salutarem consolationem sumere, nisi affulserit coeleste lumen. Reliquum est vt de *Altari holocausti,* & *labro æneo,* quæ vtraq; in atrio posita erant pauca subijciamus. Quemadmodum non externa lotio corporis, aut vnctionis ceremonia constituebat sacerdotes coram Deo gratos: sic nec sanguis ille belluinus, nec ritus vlli legales populum à peccatis mū-

u *Thom.* 1ª, 2æ. *quæst.* 102. *art.* 4. 6m.

dare poterant. Externa illa lotio symbolum erat puritatis & innocentiæ illius, quam singulos, quotquot ingrediebantur tabernaculum Domini, in corde afferre oportebat: Ad hunc solennem ritum propheta alludens, *Lavo*, inquit, *in innocentia manus meas, & circundo altare tuum Iehova. Ps.26.6*. Sacrificia igitur (vt vtar verbis [x] Chrysostomi) in veteri testamento, erant peccatorum accusatio, non solutio; accusatio infirmitatis, non ostensio virtutis: In eo enim quòd offerebantur, redargutio peccatorum : in eo autem quòd semper, redargutio fuit infirmitatis. Huc spectat illud, *Heb.10.4. Nō potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata.* Pluris constitit animarum nostrarum redemptio, quàm quas fœtidus nidor ex adipe pecudum, aut sanguinis aspersio Deo recōciliare poterat. Quorsum igitur erant hæc sacrificia instituta, inquis? scilicet vt refricarent, non vt tollerent peccata: item vt commonefacerent Israëlitas non nisi sanguine tolli peccata; quod intelligendum non est de belluino sanguine, sed de sanguine illius agni, qui mactatus erat à jacto mundi fundamento. [y] Rem omnem vno fasciculo sic complectitur Hieronymus. *Totus mundus*, inquit, *in tabernaculi describitur sacramento. Primum & secundū vestibulum omnibus patet, aqua enim & terra cunctis mortalibus data sunt : in Sancta Sanctorum verò, quasi ad æthera & in cælum, paucorum introitus & volatus erat: duodecim panes, duodecim mensium significant circulum: septem lucernæ, septem errantia astra demonstrant.* Hanc Hieronymi expositionem placuit subtexere, non quoniam genuinam censui, sed vt lectori constaret, quid Hierony-

[x] *Chrysost. hom. 17 in Hebr.*

[y] *Hieron. de veste sacerdot. ad Fabiol.*

nymus hâc de re sentiret.

Adnotatio prima.

EX magnifico hoc opificio, & ex angelicis figuris vbiq; in interioribus cortinis sparsis, enascitur illud delirium apud Pontificios de ornatu templorum, & simulacris in templis collocandis. Rationes quæ fiunt contra ornatum templorum si quid valerent, inquit [z] Bellarminus, militarent etiam contra tabernaculum Mosis, & Templum Salomonis. Iam verò non repugnare sacræ scripturæ, vel vsũ vel honorem imaginum, ex ipsâmet vetere scripturâ patet, inquit [a] Costerus; nam in Tabernaculo fœderis jussu Dei, ad exemplar ostensum Mosi divinitùs in monte, factæ sunt imagines, idque spiritu Dei, &c. Hinc illud Gregorianum nulli non in ore: *Libros idiotarum esse imagines*. Item illud tritum. *Vasta & deformia esse templa, nisi imaginibus ornentur*. Primùm hic expendemus argumenti vim: inde lectori constabit, quantâ argumentorum penuriâ hi viri laborant, qui ex obvijs quibuslibet ritibus Judaïcis & ex elementis his egenis, fulcra coacti sunt corradere. Præposterum est, rudimenta quæ non nisi veteri populo Deus tradidit, ad temporum plenitudinem trahere, postquam ecclesia adolevit, & pueritiam egressa est. Diversa planè ratio est in Judæis & nobis; nam quod spectat ad æneum serpentem, & ad imagines in tabernaculo, vel templo Salomonis extructas à hæc omnia facta erant non sine jussu Dei, quæ si infecta relinquerentur, peccarent adversus Deum. At verò

[z] *Bellarm. de cultu sanct. lib. 3. c. 6.*

[a] *Coster. enchir. controv. c. 21.*

Christianis nil talè pręcipitur, proinde ne dixeris mihi, quòd Dei & Sanctorum honori consulis; quòd de prototypo merearis, cùm simulacris & imaginibus templa exornes: istud mihi ostendito, hoc te facere ex Dei sententia; nam, quemadmodum [b] quâvis cæde (hoc non ostenso) sceleratior est parsimonia sanguinis: sic quâvis impietate sceleratior est istiusmodi pietas, & ipse cultus degenerat in idololatriam. Joannes Damascenus longum laboravit laborem in exquirendo vnum aliquem apicem in scripturâ, quo delirio huic recens nato fidem faceret, tandem autem incidit in textum illum, *Gen.1.26. Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Quem textum ad corporis formam *detorquere* nititur, cùm de hujusmodi imaginibus colendis agit, inquit, [c] Polydorus. De quo textu, ludos similes facit [d] Adrianus, eiq; planè peregrinam interpretationem assuit, dum ex eo conatur probare, simulacra non vtilia modò, sed necessaria fore ecclesiæ. Multa autem garriunt de statuâ quadam Christi, quam mulier profluvio liberata (tradente [e] Sozomeno) pro domus suæ foribus collocaverat, ad cujus pedes ignotam quandā herbæ speciem, quæ omnis generis morbis mederetur; enasci aiunt. Historia desumpta est ex [f] Eusebio, qui dicit statuam hanc mānsisse ad sua vsq; tempora; sed de fide suâ nihil prorsus tradit, spectans ad herbam illam illic nascentem: & postquam totam fabulam narrâsset, subjungit consuetudinem hanc ex Gentibus fluxisse, sic enim loquitur. Nec mirum videri debet, eos qui ex *Gentibus* olim à *Servatore* nostro curati sunt ista fecisse, quando & Apostolorum illius imagines, Pauli videlicèt &

Petri

b *Chrysost. orat. 1. adversus Iudæos.*

c *Polyd. de invent. lib. 6. c. 13.*

d *Chemnit. 4 parte exam. Trident. de imagin.*

e *Sozom. lib. 6. cap. 20.*

f *Euseb. eccles. histor. li. 7. c. 17*

Petri, deniq; & ipsius Christi, in tabulis coloribus depictas asservari vidimus; quòd veteres ex *Gentili consuetudine*, eos quos *servatores* putarunt, ad hunc modum honorare soliti fuerint. Quin autem, si disputent ex similitudine, quæ inter tabernaculum Judaïcum & templa Christiana esse debet; vt conveniat similitudo, triplici tegumento occultari nostras imagines oportet; quod si fiat, quomodo erunt imagines idiotarum libri, vt volunt? imò Deus mihi videtur consultò has angelicas figuras occultâsse, & nihil in opere tabernaculi diligentiùs cavisse, quàm ne animantium figuræ exhiberentur, in ijs cortinis, quæ in publico conspectu penderent, nimirum, vt hâc ratione omnē idololatriæ ansam præcideret. Cùm voluit igitur ad majorem gratiam operi suo conciliandam, vela tabernaculi byssino emblemate accuratè variegari, pręmonuit, nè animantium figuræ intexerentur; omnis generis floribus quos terra fert, alijsq; ornamentis picturata erant, inquit [g] Josephus, exceptis tantùm animantium figuris. Sed vt quæstionem ad stateram revocemus: *Cōflatile doctor mendacij est, Habac. 2. 18.* Jam si adulterina & mendax sit cognitio Dei ex simulacris petita, quorsum libros istiusmodi in templa inferemus? Videbimus [h] Augustinum subscriptione suâ cōfirmâsse illud Varronis. Qui primi deorum simulacra induxerunt, eos & metum dempsisse, & errorem addidisse. Consulamus Hilarium, audiemus eum sic loquentem. [i] Vnum moneo, cavete Antichristrum, malè enim vos parietum amor cepit, malè ecclesiam Dei in tectis ædificijsq; veneramini. [k] Epiphanius imaginem Christi velo suspensam in templo dilaceravit, in-

g *Ioseph antiq. lib. 3. cap. 5.*

h *Augus. lib. 4. de civit. Dei ca. 9. & 31.*

i *Hilar. contra Auxent.*

k *Epiph. epist. ad Ioann. Hierosol.*

dicans repugnare sacris literis imagines in templis haberi. Ex his satis liquet, quanto cum periculo, Papistarum vulgus non dico, sed Laticlavij, & ipsorũ Cardinalium conclave, proram puppimq; suæ salutis in istiusmodi ficulneis numinibus collocant.

Adnotatio secunda.

1 Cost.ench. controv.cap.de imag.

NOn reprehensione digna, sed commendanda est Christianorum consuetudo, inquit [1] Costerus, qui cereos in honorem Sanctorum coram imaginibus accendunt, quandoquidem id in veteri lege, ante vmbratilem fœderis arcam divino mãdato fiebat. Ecce quàm dissolutis scopis Papistæ sua fulciunt commenta. In tabernaculo vsus lucernarum erat licitus, idq; jussu Dei; quis negat? at (sciole) ideo licitus, quoniam Deus ita præceperat: & hanc solam ob causam apud nos illicitus, quoniam fit injussu Dei: id autem propemodum concedis, nam præter hunc textum nullum alium producis ex scriptura; hunc autem dum profers, vide quantam prodis inscitiam. Nã præterquam quòd nullius est ponderis, duplicem erras errorem. Primò quòd dicis vsum cereorum fuisse in tabernaculo, Secundò quòd narras eos arsisse ante arcam fœderis. Quàm prorsus hallucinaris in vtroq; nemo est mediocriter versatus in lectione scripturæ, qui non videt; nemo qui non risu excipit tuam crassam imperitiam, & te censione hastariâ, aut fustuario potius dignum censet, quem non pudet Societate Jesuiticâ donari, scripturas tamen nescire. 1o ne per somnium de cereis videtur Moses cogitâsse, de cerâ aut

aut cereo ne gry quidem: de oleo, de oleo purissimo, de oleo pilo contuso, vt arderent lucernæ fateor me legisse, jam quid oleum ad cereum? Audiamus m Hieronymum. Mel non offertur, inquit, in sacrificijs Dei, & *cera* quæ dulcia continet non lucet in tabernaculo; sed oleum purissimum, quod de olivę profertur amaritudine: 2° vbi dicis has lucernas arsisse ante arcam fœderis, si textum consuluisses, vidisses proprium locum candelabri fuisse extra velum, non in *Sancto Sanctorum*. Ad hæc, lucernæ illæ accendebantur ad illustrandum *Sanctum*, in quo nullæ erant fenestræ ad intromittendum lumen: quid hoc ad cereos vestros in templis fenestratis, idq; sub meridiano sole accensos? quasi solem facibus adjuvaretis. Rectius n Polydorus vester, qui ingenuè fatetur, vos hunc morem accendendi cereos ad imaginem, hausisse ex fæcibus Gentium. Et o Lactantius. Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui autori & datori luminis, candelarum ac cerarum lumen offert pro munere? aliud exigit à nobis lumen, & quidem non fumidum, sed vt ait poeta liquidum, atq; clarum mentis lumen. Sic ille.

m *Hieron. de 42. Mansion.*

n *Polyd. de invent. l. 2. c. 32. It. lib. 6. c. 13.*

o *Lactant. lib. institut. 6. c. 2.*

Cap. 6.

De Excelsis.

OPinio quædam ceperat profanas gentes, nullā religionem Deo gratam futuram, quæ non sub vmbrâ arborum, & super excelsos montes haberetur: quæ opinio paulatim invasit ipsos Israëlitas, vt nullo prorsus sacrificio Deum fieri propitium existi-

existimarent, nisi quod immolaretur sub arboribus patulis & frondosis, vtpote sub quercu, vlmo, aut terebintho, &c: vnde factum est, quòd in montibus Garizim & Ebal, item in collibus quibuslibet *excelsis*, aras & delubra extruerent, quæ à celsitudine montiū *Excelsa* appellârunt. Hæc *Excelsa*, quamvis sanctitatem quandam mentiebantur, sacra historia tamen non probat, sed prohibet apertis verbis. *Subvertite omnia loca, in quibus colaerunt Gentes, quas possessuri estis, Deos suos, super montes Excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum. Deut. 12. 2.* Nec temerè Prophetæ exprobrant Israëlitis, se sub omni frondosâ arbore scortatos esse, nec convenisse in illum vnum locum, quē Deus sibi elegerat. Vbi Deus autem dicitur elegisse sibi vnū locū, id non de omni cultu, sed de cultu sacrificiorū intelligi debet; nam quod ad alios cultus attinet, eos etiam alibi, extra tabernaculum, aut templum, imò in quovis loco fieri Deus permisit. Quamobrem Israëlitæ in singulis oppidis *Synagogas* habuerunt, in quibus ad lectionem & interpretationem legis conveniebant: cujus rei causâ, sacerdotes & Levitæ per singulas tribus dispersi erant. Interim non negandum, quòd tunc temporis, quando arca Hierosólymis, tabernaculum autem Gabaône restabat, cultus sacrificiorum vtrobiq; æquo jure observabatur. Quæri autem hic potest, vtrùm Samuel peccavit necne, quando ascenderat *Excelsum*? *1. Sam. 9. 13.* Ad quod dicendum, triplicem fuisse *Excelsorum* vsum apud Iudæos. Aliquando vtebantur his editioribus ædificijs loco templi, vt modò dictum est: aliquando loco *fortalitij*, quo se tuerentur bellis ingruenti-

entibus, quo sensu dicit Psalmista, *Deus fortis super Excelsa me statuit, Ps. 18. 34.* aliquando demum loco *cenaculi*, quod patet ex loco jam citato *1. Sam. 9. 13.* quem si penitiùs introspiciamus, facilè constabit, Samuelem non ad sacrificandum, sed ad comedendum eò accessisse, & ad benedicendum convivio, de quo non licuit populo comedere mensâ non consecratâ.

CAP. 7.

De Templo Hierosolymitano.

SImùl ac David ad regni clavum constitutus esset, consilium inibat cum Nathan de templo ædificando, in quo requiesceret arca fæderis: turpe esse asserens, se in domo cedrina habitare, arcam Dei verò in medio pellium positam esse. Quod consilium cùm Nathan vt æquum primò probâsset, postquam oracula Dei consuluisset, reversus monuit, vt hæc provincia in filium suũ Salomonem reijceretur, vnde vulgò dicitur *Salomonis Templum.* In hoc templo occurrunt observânda; Primò forma ejus, quam ego paucissimis perstringam, non ducens operę pretium, telam tantâ arte à p Prophetis textam de novo texere: Secundò locus: Tertiò vasa, & instrumenta in eo posita. Quod ad formam spectat, constat distinctionem hujus ædificij tripartitam fuisse, quemadmodũ suprà observavimus in tabernaculo. *Adytum* erat interius, ad quod nemini licuit introire, nisi summo Pontifici soli, idq; semel duntaxat in anno: Hæc pars nomen tenuit aliquando *Sancti Sanctorum*, aliquando *Oraculi*, quoniam scilicet ex ea, tanquam ex sacra

p *1. Reg. 6. It. 2. paral. 3.*

aliqua responsorum & oraculorum curia Dominus locutus est ad populum. Tunc secutus est locus exterior, qui respondit *Sancto* in tabernaculo, vnde aliquando appellatur *Sanctum*, aliquando *Templum*. Cæterùm sciendum, quòd *Templum* hoc à sacratiori penetrali distinguebatur, per parietem auro fulgentissimo ornatum, variéq; exculptum, vt ingressus in illud jam per portam daretur, in porta tamen simul pendebat velum sericum, figuras Cherubicas artificiosè depictas exprimens; hoc illud erat velum, quod in morte Christi erat scissum in duas partes. Notandum item, quòd licet hoc sacrum ædificium extructum erat ex lapidibus pretiosis, habuit tamen in exteriori sua parte per circuitum tabulatas domunculas, pro habitatione sacerdotum suo officio per vices defungentium, tradente q Iosepho: quę domunculæ, multis vocabulis exprimuntur; nam *alæ templi, ambulationes, ambitus, appendices, costæ, latera, ac thalami vocantur*. Quin autem, vt rectam rationem hujus tabulatæ structuræ teneàmus, fingemus parietem ligneum extra templum ipsum erectum, è regione parietis ipsius templi, ita vt distantia inter vtrũque parietem fuerit quinq; cubitorum: trabes verò quibus tegebatur hæc intercapedo, muro lapideo templi, & huic ligneo innitebantur; trabibus imponebantur tigna & asseres, atq; hoc pacto ambulatio infima contegebatur; quę quinq; cubitos erat longa, & pariter quinq; lata: & istiusmodi ambitus ligneus totam domum circumibat, dempta parte orientali, in qua *porticus*, seu *vestibulum* situm erat. Sciendum item, quòd super hanc infimam ambulationem alia su-

q *Vid. Nicol. de Lyra 3. Reg. c. 6.*

superior fuit extructa; & ad eundem modum tertia: vt tectum infimæ esset pavimentum mediæ; & mediæ tectum, pavimentum supremæ. Fuitq; istorũ thalamorum par altitudo, nimirum quinq; cubitorum; latitudo verò impar, videlicet infimus quinque cubitorum, medius sex, & supremus septem. Quæ diversitas inde orta est, quoniam Salomon noluit exteriorem partem parietis trabibus perforari. Quid ergo? Fabri ædificando templi parietem, cùm pervenissent ad quintum cubitum, parietis crassitiem vno cubito retraxerunt, quæ retractio refert quodammodo gradum in scala sectum, & ad modum fulcri sustentabat altera capita trabium transversarum; vnde secunda concameratio in cubitali illa retractione parietis, lucrabatur in latitudine cubitum vnum: atq; hâc ratione reddebatur lata sex cubitos. Ad hæc, cũ ad cubitum decimum surrexit paries, rursus crassitiem ejus vno cubito retraxerunt, ex qua retractione, suprema cõcameratio erat septem cubitos lata. Tota domus erat longa sexaginta cubitis, videlicet *Sanctũ* quadraginta, & *Oraculum* viginti: lata autem erat viginti cubitis, alta triginta. Et inter decimum quintum ac vigesimum cubitum, fenestræ apertæ erant ex vtroq; latere.

Sed hac de re nondum convenit apud interpretes, nimirum putant [r] alij, has ambulationes seu *alas* non fuisse continuas, ita vt vnius contignatio esset pavimentum superioris: verùm fingunt inter infimam & mediam fuisse interstitium seu spatium septem cubitorum cum dimidio: ac rursus inter mediam & supre-

[r] *Vid. P. Martyr in* 1. *Reg.* 6.

mam simile fuisse interstitium; fenestras autem *Templi* & *Oraculi* in istis duobus interstitijs collocant. Harum sententiarum prior videtur verisimilior, quoniã ex posteriori, fenestræ non habuerunt liberum cœlum, quo lumen transmitteretur. In his concamerationibus, præterquam quòd sacerdotes & Levitæ (provt suæ vices postularent) eas inhabitabant, reponebantur instrumenta & vasa templi. In fronte hujus ædificij, ad ingressum *Sancti*, *Vestibulum* etiam constructum erat, in altitudinem centum viginti cubitorum: dicitur aliquando *Porticus*: longitudo ejus erat viginti, latitudo decem cubitorum. Totius structuræ ratio qualitercunq; cerni potest in ecclesijs nostris, quas vulgus appellat *Cathedrales*. In hoc solùm discrimen erat, quòd apud Judæos templi superior pars, quæ ipsis *Sanctum Sanctorum* dicebatur, stabat occidentē versus; idq; duplici de ratione: primò,* quia ab occidente expectabant Messiam venturum: deinde ne Ethnicos imitari viderentur, qui orientem versus adorabant. Ordo autem apud Christianos jam inversus est. Imaginabimur igitur, quod in plurimis Ecclesijs videre est, illam partem Ecclesiæ quæ in altitudinem surgit, & reliquo opere procerior videtur, poni in ipso primo ingressu; *Turris* communi nomine nuncupatur: Hæc *Turris*, *Vestibulo* de quo jam est sermo non absimilis est. *Navis*, seu *Gremium Ecclesiæ*, ipsius *Sancti* formam nobis exhibet: *Costæ* à dextra & sinistra arcuatæ, quas *Ecclesiæ alas* solemus appellare (modò intercolumnia clauderentur, & in totidem concamerationes tribus ordinibus supra se invicem positas, distinguerentur) *Templi Hierosolymitani alas* re-

* *Hospin. de Orig. Part. Temp. c.1.*

referrent, nisi quòd nostræ sint intra, illæ extra Templum. *Chorus* noster demum, qui est plerunq; dimidiata pars *Gremij*, pulchrè respondet *Sancto Sanctorum*, cujus longitudo etiam erat ad dimidium Templi proportionata. *Cœmiterium*, *Atrij* similitudinem quandã habet, sed non per omnia convenit. Area enim hujus atrij divisa erat in tres partes, quæ totidem constituebant *Atria*: horum omnium spatium latius erat ab ortu quam ab occasu, eo modo vt tota fabrica leonis formam exhiberet, qui pectore, quàm tergo multo est latior.[f] Hinc toti loco à prophetis nomẽ *Ariel* factum esse dicitur: significat autem *Ariel* leonem fortem, aut leonẽ Dei. In Atrium primum, quod proximè adjacebat Templo, nemini licuit introire, nisi solis sacerdotibus, Levitis, & cantoribus: vnde dicebatur *Atrium Sacerdotale*, & *Atrium interius*. Paries seu septum, quo hoc Atrium circumcludebatur,[t] erat ad altitudinem trium cubitorum, vt quamvis eo prohiberentur Laïci ab introitu; possent tamen spectare, quid intus à Levitis agebatur. Veniebant quippe homines oblaturi ad hujus septi januam vsq;, ibi dabant victimas in manus sacerdotum, easq; oculis prosequebantur, & ad templum facie conversâ Dominum precabantur. Extra hoc *Sacerdotale Atrium*, aliud amplissimum extructum erat ad vsum Laïcorũ: dicitur *Atrium exterius*, *Basilica grandis*, & ab hoc Atrio ad *Sacerdotale*[u] ascendebatur per quindecim gradus, ad quos *Psalmi* quos ob id vocant *Graduales*, cani solebant. Hoc atrium Israëlitis mundis destinatum erat, ita tamen vt viri in vna parte, fœminæ in altera agerent,[x] hi scilicet atrio sacerdotali propinquiores,

f *Arias Mont. de templi fabric.*

t *Ioseph. ant. lib. 8. cap. 2.*

u *Cambius Isa. 6, 13. vid. Ariã Mont. de templi fab.*

x *Arias Mont. ibid.*

illæ remotiores. In lateribus hujus atrij extabant porticus, in quas se recipiebat populus cùm ingruerent tempestates, nam aliter sub dio, & quasi teste cœlo omnes precabantur. Christus in hoc atrio, sæpe disputabat & concionabatur; vnde non semel in novo testamento, hoc ipsum atrium sortitur nomen *Templi*: quando legitur Christum expulisse vendentes & ementes ex *templo*, non putandum est, quòd in *Sancto* sedebant mensarij, aut prostabant hostię venales; imò ne in Atrio quidem sacerdotali, sed in hoc ipso Laïcorum atrio, quod postea septo aliquo non nimis alto, in duas partes fuisse divisum ostendit Arias Montanus, vt alter sexus divisus ab altero, commodè consistere posset. Porrò nō omnibus sine discrimine Laïcis huc licuit convenire, sed mundis & purificatis solummodò: proinde fuit aliud *Atrium extremum* dictum, Judæis immundis & Ethnicis, qui Hierosolymam tum oblatum, tum etiam adoratum subinde veniebant, destinatū. Atq; hîc mihi se commodè offert Canisius, nō proletarius aut gregarius scriptor inter Papistas habitus, qui vt fidem faceret suis de virginibus monialibus panegyricis, y probare nititur; locum virginibus in templo Hierosolymitano proprium, & juxta legem attributum fuisse: id scilicet intervallum, quod erat inter templum & altare, ibiq; Mariam Deiparam, Samuëlis exemplo in sacris fuisse educatam asserit: Mitto hîc, quòd superiùs docuerat, eam trimā in *Sancto Sanctorum*, & in templi adytis, tanquam in aureis thalamis versatam fuisse, ad secundam ætatem vsq; i. ad decimum quintum ætatis annum, ibiq; cœlesti, non communi cibo sustentatam: quæ loca si cōmit-

y *Canis. de Mar. Dei-para, lib.* 1. *cap.* 12.

mittantur, se mutuò confodiunt, nec alia refutatione indigent. Ex eo autem cadit hoc commentum, quoniam nec Canisius adhuc protulit, nec Papistarum quispiam proferre potest, vnum aliquem apicem, vel leviusculum aliquod argumentū, è sacratissimo scripturarum penu, ad confirmandum hoc delirium; ne putet nos tamen evasuros sine suffragio autoritatis, opponemus huic Josephi & Glossatoris sententiā saniorē. Septū illud quod templū circūibat, hoc est, septū illud Atrij sacerdotalis [z] *solos sacerdotes* admittebat: jā si solos sacerdotes, sequitur *virgines omnes* fuisse exclusas. [a] Glossæ ordinariæ autor, postquā ostendisset triplicem ordinem porticuum, quem Cassiodorus in pictura templi posuerat, subnectit hæc verba. In *Sancta Sanctorum* intrabat Pontifex; in ipsum *templum* sacerdotes purificati & non purificati, vnà cum Levitis & cantoribus; in *intimum* basilicæ grandis *atriū* (nam tria illa atria vocat ille *basilicam grandem*) viri Iudæi purificati; in *exterius atrium*, mulieres Iudææ purificatæ; in *extremum atrium*, Gentiles & Iudæi, qui nuper venerunt ex Gentibus, vsq; ad sextum purificationis diem. In hac tota descriptione, ne vnum verbum habetur de virginibus aut earum loco, nisi sederent vnà cum reliquis mulieribus, quod probabile videtur: nam extra dubium, illarum locum non omisisset Cassiodorus, nec autor Glossæ; cùm vtriusq; consilium nihil aliud sit, quàm vt assignent suam propriam cuiq; sexui & sectæ sedem. In redargutione insulsi illius somnij, de Beata Maria in adytis & penetralibus templi educandâ, nihil est quòd tempus perdere; cùm nemini cuiquam mortalium aditum eò patuisse,

z *Ioseph. antiq. lib. 8. cap. 2.*

a *Gloss. ordin. in 3. Reg. cap. 6.*

patuisse, præterquam summo pontifici soli, idque semel tantùm in anno, omnes sacræ & profanæ literæ locupletissimè testantur. Placet mihi igitur hanc fabulam claudere verbis ipsius [b] Casauboni: *Eavemus quidem toto corporis affectu gloriæ τ̃ ὑπεραγίας θεοτόκου virginis, sed fingi mendacia in eum finem, aut fictis haberi fidem, hoc nos zelo veræ pietatis succensi ferre non possumus, & in ipsius Mariæ contumeliam cedere non dubitamus.* Cæterùm, vt ad institutum redeat oratio, sciendum est, montem *Moria* fuisse locum hujus Templi, in quo extruebatur: Isaacus jam jam immolandus, cùm videret ignem & gladium, rogabat patrem suum, vbi nam esset agnus, quem sacrificaturus esset? Pater respondit, *Deus videbit.* [c] Proinde hic mons Moria, à *videndo* nomen accepit. Consequens jam est, vt de instrumentis in templo repositis, tria verba subjungamus. In *Oraculi* medio duo consistebant Cherubim, ex lignis olivarum fabricati, & pretiosissimo auro obducti, illis in tabernaculo Mosaïco non valdè absimiles, nisi quòd essent multò majores & augustiores facti: obumbrabant in hoc templo, quemadmodum in tabernaculo arcam fœderis, quæ post captivitatem Babylonicam deperdita erat, nec in secundo templo inventa. In medio *Sancti* stabat altare thymiamatis aureis laminis vestitum, vbi Angelus Gabriel cum Zacharia sacerdote locutus est: aderant etiam decem *mensæ*, vtrinq; quinæ & decem *candelabra*, vtrinq; pariter quina deaurata. [d] Quod spectat ad Mosaïcum candelabrum, & mensam, honoris causâ conservabantur. In *atrio sacerdotali* extruebatur æneum altare, quod victi-

[b] Casaubon. ex. ad annal. Bar. appar. l. 20.

[c] Ludovic. Lavater. in 2. paral. 3.

[d] P. Martyr in 1. Reg. c. 7.

victimis comburendis erat destinatum: Item *Mare*, quod inserviebat ablutionibus Levitarum, quos manus & pedes aquâ perfundere oportebat, antequam rem sacram tractarent. Aspersorium illud dicitur *Mare* more Hebræorum, qui omnes collectiones aquarum appellant *Maria*.[e] Iosephus refert Mare hoc fuisse vas æneum ad semi-orbis speciem factum: sed hîc, vt alibi, Iosephus à vero recedit, constat enim ex sacra scriptura, *1. Reg. 7. 24.* vas hoc fuisse rotundum in circuitu,[f] ita tamen vt esset semicubito angustius, quàm sphæræ ratio postulat. Hoc aspersorium circumstabant boves duodecim ænei, hoc situ, vt posterioribus cruribus ad centrum locatis, terna capita, singulas ex quatuor orbis plagis spectarent. Fiebant etiam *decem lebetes*, qui machinis extructis imponebantur; in his aquâ repletis, intestina & pedes victimarum abluebantur. Quod ad internum ornatum templi attinet, item ad forcipes, phialas, fuscinulas, & id genus alia, de industria omitto loqui, quoniam de his satis perspicua est ipsa scriptura. Notandum autem, quòd non multis evolutis annis, Nabucadonasar spoliavit, & incendit augustissimum hoc templum Salomonis, Iudæorum peccatis sic merentibus. Post captivitatem Babylonicam, Iudæi postliminio reversi illud reædificârunt, cui operi præfuerat Zorobabel: inchoatum erat in [g] secundo anno Cyri,[h] consummatum autem Darij Histaspis anno nono, quod temporis interstitium conficit annos quadraginta sex. De [i] *hoc templo* locuti sunt Iudæi *Ioan. 2. 20. Quadraginta & sex annis extructum est templum hoc, & tu in tribus diebus eriges illud?* Isti anni 46. ad huncmo-

e *Ioseph. Antiq. lib. 8. c. 2.*

f *Arias Mont. in fab. temp.*

g 1. *Esdr.* 3.

h *Ioseph. antiq. lib. 11. cap. 4. Hieron. in Dan.* 9.

i *Theophylact. Item Calvinus in hunc locum. Tolet: in Ioan. 2. annot. 25.*

modum colliguntur,

Cyrus regnavit annis	30
Cambiles, cujus diebus Samaritæ Iudæis infensi ædificationem prohibuerunt, regnavit annis	8
Templum secundo anno Cyri inchoatum, absolutum erat anno Darij Histaspis	9
Dempto primo anno Cyri manent	46

Contra hoc non est quod *Aggai* 2° scriptum est, anno secundo Darij fundamenta posita esse: [k] nam Bedâ tastante, fundamenta partis interioris templi posita erant anno 2° Cyri: partis verò exterioris, quæ continebat atrium anno 2° Darij, & hoc dicitur ab Aggæo. Hujus posterioris templi structura, nequaquam respondebat Salomonico templo, [l] Thalmudistæ in duabus præcipuè rebus id ostendunt. Primò dicunt vasa ferè omnia, quæ in priori templo aurea fuerant, in secundo facta fuisse ænea. Deinde dicunt sanctitatis primi templi indicia in secundo defuisse: eaq; docent fuisse quinq;, nimirum, *1 Vrim, Vethummim, 2 Arcam, 3 Ignem, 4 Divinitatem, 5 Spiritum.* hoc est, *1 Rationale iudicij; 2 Arcam fæderis, 3 Ignem de cælo missum, 4 Gloriam Dei inter Cherubim apparentem, 5 oleum unctionis*, id enim mihi videtur intelligi debere per *Spiritum*: quoniam illud defuisse in secundo templo ostendit [m] Rabbi Samuel, quod si esset distinctum à *Spiritu*, evincitur contra Thalmudistas, numerum rerum quæ defuerant in hoc secundo ædificio fuisse senarium, non quinarium. Nec coacta debet hæc interpretatio videri, nam *Oleũ unctionis*

[k] *Vid. Tolet. loco alleg.*

[l] *Hospinian. de origine templ. cap. 3.*

[m] *Vid. Hospin. loco alleg.*

ctionis in sacris literis, nihil aliud significat ex cõmuni omnium interpretum sententia, quàm *dona spiritus.* Posteà Herodes immani sumptu [n] ornavit & amplificavit hoc templum: vel, vt refert [o] Josephus, aliud novum extruxit, & intra annos octo præter hominũ opinionem absoluit. In cujus sententiam si descendamus: [p] dicendum, quòd Judæi perinde habuerant novam Herodiani templi structuram, ac si vetus illud semper in statu suo durâsset, propterea quòd in eodem loco erat extructum, idq; ab alienigena & citra mandatum Dei: aliter non verum erit, quod Judęi suprà dixerunt, nimirum præcise quadraginta sex annos exijsse, à primis fundamentis jactis, ad templi cõsummationem. Herodes adjunxit turrim præaltam, quam in honorem Antonij appellavit *Antoniam*: E plurimis portis, quibus hoc opus visendum erat, vna erat præter cæteras eximia, quam vulgò appellabant *Speciosam*: item erat è porticibus vna reliquis fortassis excelsior, & structuræ elegantioris, [q] quæ ob similitudinem ejus, quam Salomon olim extruxerat, [r] vel in memoriam & honorem Salomonis, à Iudæis **Salomonis porticus* est vocata. Hanc porticum eam esse aliqui existimant, cujus fit mentio. *1. Reg. 6.* quam alio nomine *vestibulum* dici suprà ostendimus. Sed cùm hæc interior fuerit in atrio sacerdotali ad ingressum templi, non verisimile videtur [s] Toleto Salomonem in eam intrâsse, & ibi orâsse, aut populi voces audîsse, vti isti doctores aiunt; existimat ille fuisse eam porticũ potius, cujus meminit Iosephus. [t] Collis enim partẽ orientalem, vbi ædificatum erat templum, muro Salomon circumcinxit, & planitiem aggere munivit, &

n *Tolet. in Ioan. 2. annot. 25. Egesippus lib. 1. cap. 35.*

o *Ioseph. antiq. lib. 15. cap. vlt.*

p *Calvinus & Piscator in Ioan. 2. 20.*

q *Iansen. conc. evang. cap. 93.*

r *Hospinian. de orig. templor. cap. 3.*

* Salomons Porch.

s *Tolet. in Ioan. cap. 10. annot. 15.*

t *Ioseph. de bello lib. 6. cap. 6.*

in planitie *porticum* extruxit. Hæc fuit ex sententia Toleti prope atrium virorum, quod proximum erat atrio sacerdotali.

Cap. 8.

De Synagogis.

QVoniàm Synagogæ frequens est mentio apud Evangelistas, non abs re erit, si aliqua de vocis significatione, de rei ipsius vsu, & de origine seu antiquitate prælibemus. Synagoga græcum est vocabulum, significans idem, quod latinè *Cōgregatio*: vsurpatur in sacris literis tripliciter. Primò pro totâ illâ Judæorum repub.: vt enim nunc Christianorū conventus dicitur Ecclesia; ita olim Judæorū multitudo vniversa sub vnâ verâ religione dicebatur Synagoga. In quâ significatione acceptum est illud, 4. *Num. Recensuerunt Moses & Aaron, & principes Synagogæ filios Caath.* Ratio autē, cur conventus Christianorum Ecclesia, non Synagoga appellatur, hujusmodi reddi potest: nempè propter distinctionem, vt Christiani, qui excusserunt jugum illud ceremoniarum, & quibus mysteria divina reserata sunt, novum reciperent nomen, quod divinæ gratiæ splendorem magis referret, & exprimeret: nàm Synagoga, quod à græco verbo συνάγω deductum est, quamlibet congregationem, seu reverà collectionem significat, vt συναγωγὴ γάλακτος, copia lactis: συναγωγὴ πολέμοιο, collectio eorum, quæ sunt ad bellū necessaria: at verò Ecclesia non quamlibet collectionem, nec quorumlibet convocationem, sed propriè, & ex ipso vocis Etymo,

mo, denotat cætum evocatorum: Vnde [v] Andreas Cæsariensis vult, Ecclesiam intelligi per Dei viventis *Templum*, in quâ, inquit, hostiæ rationales Deo offeruntur: Synagogam autem assimilat non *templo*, sed *exteriori atrio*. Secundò accipitur nomen Synagogæ pro quocunq; sive bonorum, sive malorum cætu: sic vsurpatur *Psal. 86. v. 14.* συναγωγὴ κραταιῶν ἐζήτησαν τὴν ψυχήν μου. *Synagoga potentum quæsiverunt animam meã:* & *Apoc. 3. 9. Satanas suam habet Synagogam.* Tertiò accipitur pro loco sacro, in quem convenire solebant Iudæi ad tractandam scripturam, & ad alia multa spiritualia exercitia præstanda. Vsus harum Synagogarum erat multiplex, quemadmodum produnt sacræ literę. Primus, ad prædicationem verbi divini, & legis Mosaïcę explicationem. *Act. 15. 21.* Alter, ad invocandum nomen Dei, & in Dei gloriam eleemosynas cõtribuendum. Servabatur autem ordo talis. Convenientes quidem viri & fœminæ, locis tamen distinctis, primùm orabant pro communibus necessitatibus, & præ reliquis adventum Messiæ postulabant: precatione vero finitâ, succedebat legis & Prophetarum lectio, quâ pariter absolutâ, mos erat, vt *Magister Synagogæ*, qui *Archisynagogus* nuncupatur, vel alius quispiam, cui facultas interpretandi fieret ab *Archisynagogo*, Cathedram Mosis conscenderet, vnde concionem habebat ad populum. Constat hoc ex *Act. 13.* vbi de Paulo & Barnabâ legimus, quòd die Sabbatorum ingressi Synagogam sederunt: post lectionem autem legis & Prophetarum, miserunt principes sacerdotum ad eos dicentes. *Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite, &c.* Sic in Evan-

v *Andreæ Cæs. Comm. in Apoc. cap. 19.*

vangelio Christum sæpè in Synagogis etiam docuisse liquet. Tertius vsus synagogarum erat, vt in ijs haberentur disputationes, & concertationes ad abditos scripturę sensus eruendos; quandò autem in Templo, aut Synagogis convenerunt ad hujusmodi disputationes, hic ordo servari consuevit, qui apud Ambrosiū super *Epist. ad Cor. cap. 14.* descriptus habetur; vt nimirùm sedentes disputarent, seniores sederent in Cathedris, quæ ordine erant dispositæ: Erant hæ illę Cathedræ, de quibus Dominus in Pharisæos ait, *Amant primas Cathedras in Synagogis*. Cæteri minoris ordinis in subsellijs, novissimi omnium in pavimento super mattas; quibus etiam dabatur dicendi locus, cùm ijs quid revelatum esset: quem morem Paulus etiam conatus est inferre in Christi Ecclesiam. *1. Cor. 14.* His suffragantur [x] Iosephus, & [y] Philo: Destinata oppidatim sacris precationibus loca, quæ *Prosenchas* vulgus nominat (nos autem appellamus *Synagogas*) quid aliud sunt, quam *Scholæ*? inquit Philo. Hinc est, vt meritò pro infami haberetur, quęcunq; [z] *extra Synagogā fieri* contigit: eum enim à consortio fidelium separabant, indignumq; judicabant, quo cùm in oratione, aut verbi doctrinâ communicarent, & tanquam incorrigibilem vitabant: sicut & nos cum *excommunicato* facimus: Tali pœnâ Apostolos à Judæis puniendos prædixerat Dominus. Adijciunt aliqui non infimæ notæ viri, quartum vsum Synagogarum; nempè quod Synagoga erat *locus correctionis*, quò trahi ad pœnas oportebat homines, qui insurgerent contrà Iudæorum ceremonias, vel quovis modo in legem illorum offenderent: In hâc sententiâ probandâ, totâ

x *Ioseph. lib. 2. contra App.*
y *Phil. Iud. li. 3. à vita Mosis.*
z *Ioan. 16. c. 2.*

cer-

cervice laborat, & strenuè desudat Fräcisc: [a] Toletus: mihi autem (si quid prospiciam) videtur [b] Iansenius propiùs accedere ad scopum: qui quotiès sacra scriptura loquitur de quovis in synagogis flagellato, interpretatur Synagogas per *Congregationes*, & *Conciliabula*: Non vult igitur nos putare, quòd noxij luebant pœnas in templo, quasi domus orationis facta esset pistrinum aliquod: sed publicè in conspectu Synagogæ, aut in oculis conciliabulorum: Et hoc idem nõ obscurè innuunt verba Evangelistæ: [c] *Tradent vos,* inquit, *in suis concilijs, vos flagellabunt in Synagogis suis.* Origò & antiquitas Synagogarũ est incerta: [d] Aliqui non mediocritèr docti, tempore Babylonicę captivitatis incepisse existimant; quando scil: ob exilium illud, templum adire non licuit; tunc cœperunt Synagogæ extrui, vt haberent saltem locum aliquem similem templo, in quem populi potuerant cõvenire, vt orationibus & interpretationibus scripturarum liberiùs vacarent. Fundamentum, quo nititur hæc opinio, illud præcipuum est, quod in historiâ Iudicum, aut Regum, nulla Synagogarum memoria celebratur. [e] Rabbini, & alij sæpius inculcant de Masphat, quòd quadringenta millia virorum eò in *Ecclesiam* convenerunt: *Iudic.20.* Malè autem hoc torquent ad probandum, quòd Synagogarum vsus erat ante extructionem templi; cur non eâdem lege Bethel, & Beer-scba, & multa alia loca, quæ celebravit scriptura ob sacros conventus in illis habitos, synagogæ appellantur? At constat omnibus vel medio-critèr versatis in lectione sacræ scripturæ, quòd vsque ad templum extructum, nomen synagogæ non reperitur

a *Tolet. in Ioan. cap.16. annot.2.*
b *Iansen. cõcord. Evang. cap. 55.*
c *Mat.10.17.*
d *Sigon. de rep. Heb. lib. 2. cap.8*
e *Vid. Tolet. in Ioan. cap. 16. annot.2.*

ritur. Si quis igitur in ejusmodi antiquitate concipiendâ conjecturæ locus est, ego eas in Babylonico exilio primùm ædificatas putârim; deinde postquam Iudæi ex Babylonia rediissent, ac Templum in vrbe Hierosolymorum restituissent, simul etiam institutum jam synagogarum vsum retentum fuisse: vt Iudæi Hyerosolimitani in *Templo* legem audirent; provinciales verò cùm ad vrbem venirent, in *synagogis*. Nam tantus erat Iudæorum & proselytorum numerus, vt Templum Hierosolymitanum capere totam multitudinem non posset: ergo præter plurimas synagogas vbiq; sparsas per provincias, necesse erat, vt multæ etiã in ipsâ vrbe Hierosolymorũ ædificarentur. Notandum autem, quòd constructo templo Hierosolymitano, in eo solo *sacrificare* oportuit. *Deut*, 12. & hæc ratio est, quòd tanta multitudo hominum toties confluebat ad sanctam civitatem, scil. ad sacrificia offerenda. Vt in Templo sacerdotes & Pontifex principatum gerebant; sic in synagogis sacerdotes & Levitæ, sed præter cæteros Scribæ, & Pharisæi, vnà cum Archisynagogo, qui reliquis erat instar *præsulis* alicujus præpositi: idq; liquet ex sacra pagina. *Mat.* 23. quæ testatur super Cathedram Mosis sedisse Scribas & & Pharisæos: Item lites aliquando fuisse subortas, inter Scribas de primis cathedris, quod Christus iis obiecit, cùm illorum contundere superbiam vellet. Sed de officio Scribarum pòst suo loco pluribus. Ex his quæ dicta sunt apparet magnũ discrimẽ inter *templum* & *Synagogam*: cujus rei argumentum est, quòd Synagogæ, everso etiam templo, in hunc vsq; diem servatę sunt, & Christianorum Ecclesiæ opponuntur.

Liber



LIB. 2. SECT. 1.

DE DIEBVS FESTIS.

CAP. 1.

De mundi natali, anno Hebraïco, & eius partibus.



Ntequàm ordiamur de anno Hebraïco loqui, præmittenda quædam censui de mundi natali; nam in hoc ponitur cardo illius controversiæ, quę tamdiu agitata fuit inter doctos, vtrùm ab æquinoctio verno, an autumnali, Iudæorum naturalis annus initium ceperat; probabile enim est vnum fuisse vtriusq; initium: proinde, si quid certi potest produci de illius natali, de huius initio non potest ambigi. Primum, illud somnium Ægyptiorum Mystarum, qui natalem mundi [a] sole agente in signo leonis defigebant i. vigesimum Iulij mensis diem, tanquam explosum omittemus: & duas tantùm in medium proferemus opiniones, de quibus nôdùm convenit apud Interpretes. Prima est eorum, qui existimant mundum à Deo creatum fuisse sub æquinoctium autumnale. i. in mense Tisri, hoc est (computatione revocatâ ad nostros menses) 25 Septembris: Huic sententiæ ex veteribus adhærent [b] Rabbi Elieser, & Æsculapius Ægyptius: ex recentioribus inter alios

a *Solinus c. 35.*

b *Vid. Iunium analyt. exposit. Exod. 12. cap.*

H [c] Mar-

c *Marbach. Exod.12.* d *Sigon. de rep. Hebr.l.3.c.1.* e *Rosinus antiq. Rom.lib.4.c.11.*

[c] Marbachius, & [d] Sigonius. At verò hi posteriores, non tam tutantur, quàm sequuntur illam, quasi per manus receptam: non conantur eam probare, sed per viam concessionis innuunt alios ita existimâsse. Quod spectat ad fundamentum hujus opinionis, suspicor hoc fuisse præcipuum, quòd Ægyptij & Israëlitæ, ante redemptionem suam ex servitute Ægyptiacâ, initium anni, proinde & natalem Mundi observârunt æquinoctio autumnali. Huic addi potest aliud, nempe, quoniam anni Sabbathici sive Sabbatharij, itemq; Jubilæi, supputabantur ab eodem æquinoctio autumnali. E doctioribus nonnulli, videntes opinionem hanc labascentem, & vtroq; cornu nutantem, ob vtriusq; fundamenti debilitatem; ab eâ, vtpote infirmâ nimis & ruinæ proximâ, eò vsq; resiluerũt, vt prorsus contrarium statuerint, nempe, mundi Natalem fuisse æquinoctio verno .i. apud Judæos in Mense, qui Abib & Nisan dicitur, apud nos 25 Martij, sole agente in partibus Arietis. Rationes quibus vtuntur ad hoc probandum sunt ejusmodi. Prima, quia inde à principio mundi annus à verno æquinoctio inchoatus fuit, vt colligi potest ex *8.cap. Genesios*: vbi constat per primum mensem intelligi debere mensem Abib. Secunda, quia etiam Chaldæi & Persæ eandem rationem anni velut à patribus acceptam coluerunt, ac proindè Mithras Persarum deus sedem in æquinoctio verno habens figurabatur. [e] Nec ab his multum dissentiebant Romani: nam vsq; ad regnum Numæ à Martio suum inchoârunt annum: & hoc patet ex mensibus Ianuario & Februario pòst additis. Sed hac de re consulatur Romanæ historiæ

mea

mea Anthologia *lib.2.sect.3.cap.1.* Hæc sententia erat [f] Rabbi Iudæ Persæ, & ipsius Mosis, testante [g] Philone, & Ambrosij 4° *tomo operum libro 1°. Hexameron cap. 4°.* His suffragantur [h] Lyra, [i] Polanus, [k] Franciscus Iunius, & [l] Perkinsonus. Ad argumenta adducta in confirmationem prioris sententię, sic respondent; duplicem fuisse apud Hebræos anni ineuntis rationem; *Sacram* scil. quam & *naturalem* nuncupare possumus; & *civilem*. Illam duxisse initiũ ab æquinoctio verno, hanc ab autumnali; illam ad rationem festorum, & cultum Dei spectâsse, vnde annus dicebatur sacer; hanc ad res civiles, nempe ad intermissionem terræ, & agriculturam renovandam, vnde annus ille dicebatur civilis. Quòd Ægyptij igitur principiũ anni Septembri assignârunt, non ideò factũ erat, quia celebrarent mundi natalitia: sed factũ civili observatione, propter fructus terræ, & actiones annuas ad culturã, quę sub id temporis regresso Nilo, & solo Ægypti siccato redintegrabãtur: & ne Jsraëlitæ retinerent Ægyptiacam seriem etiam in rebus sacris, quod verisimile est eos fecisse in Ægypto, statim post egressum, Deus justã rationẽ anni declaraturus ad Mosen, veterem & jam diù intermissam de novo instaurabat. Sic enim ait, *Exod.12.2. hic mẽsis* qui idem Abib appellatur. *Exod.13.4. vobis caput mẽsium erit:* quæ verba de anno sacro intelligi debent: nam quod spectat ad annum civilem, more Ægyptiorum initium sempèr petebant à mense Tisri i. 25. Septembris. Itèm Sabbatharij, & Iubilæi anni supputabantur ab Æquinoctio autumnali ob respectum civilem, nimirùm ob cessationem à culturâ agrorum,

[f] *Vid. Junium anal. in Exod. cap.12.*
[g] *Philo Iud. l.3. de vita Mosis.*
[h] *In Exod. c. 2.*
[i] *Polan. Syntag. Theol. tom.1. lib.5. cap.7.*
[k] *Loco supra citato.*
[l] *Perkinson. 2. volum. libro proem. sive Introduct.*

ob relaxationem mancipiorum, & ob reversionem fundorum ad suos dominos. Ego quidèm posteriori sententiâ, vt potiori, & tutiori totus acquiesco: Cùm tamen pares propemodùm sint calculi, lectori liberũ erit in vtram vult deflectere partem. Vt autem causa nobis innotescat, cùr illorum menses nostris per omnia non respondebant, sciendum, quòd Iudæi anni spacium definierunt per duodecim lunares menses, sive 12. lunæ circuitus in cœlo: vndè eorum anni dicebantur *anni lunares* continentes dies 354: ita vt essent vndecim diebus & semisse breviores *anno solari*: & nisi annorum progressu enormis diversitas oriretur, secundo quoque anno mensem intercalabant, dierũ 22: & quarto, dierum 23. Is mensis decimus tertius intercalatus sempèr sequebatur mensem dictum Adar, vnde dicebatur Veadar, quasi alter Adar. [m] Hieronymo autem hâc in re si qua fides, non biennio decurso, sed octavo recurrente anno, fieri solebant intercalationes, & tunc moris erat, tres integros menses intercalare. Cùm autem de Mensibus incidit sermo, notandum, quòd ante captivitatem Babylonicam nomina illis indita erant à numero, provt quisq; primus erat, aut secundus, aut tertius vsq; ad duodecimum: post reditum autem ex Babyloniâ, Chaldaicis (vt aiunt Interpretes) ornati sunt nominibus, quæ subjecta tabella indicat. Ex his alij triginta dies, alij viginti novem habuerunt: [n] vnde illi *pleni*, hi *cavi* vocati sunt. Quodammodò, sed non per omnia (quia duodecim lunationes non adæquant solis annuũ circuitum) conveniunt cum Romanis.

m *Hieron. in Daniel. cap. 9.*

n *Car. Sigon. de rep. Heb. lib. 3. cap. 2.*

Nisan sive Abib.	*Martius.*
Zius, sive Iar.	*Aprilis.*
Sivan.	*Maius.*
Tamuz.	*Iunius.*
Ab.	*Iulius.*
Elul.	*Augustus.*
Ethanim sive Bethanim aut Tisri.	*September.*
Bul sive Mareshuan.	*October.*
Casleu.	*November.*
Thebet.	*December.*
Sebarb.	*Ianuarius.*
Adar.	*Februarius.*

De Septimanis, diebus, & horis.

QVemadmodum annos singulos in menses, sic menses in Septimanas, seu Hebdomadas Hebræi diviserunt. Septimana autem aliquando ° septem annorum, aliquandò septem dierum spatiũ continebat: vnde illa *Septimana annorum*, hæc *dierum* dici solebat. Quam vt pleniùs intelligamus, non abs re fuerit tribus verbis expedire, quæ notatu digna occurrunt in dierum ratione, qui sunt Hebdomadis minores partes. Quotiès incidit sermo in sacrâ paginâ de die, intelligi debet vel de *naturali die*, qui continet non lucem diurnam solummodò, sed etiam nocturnas tenebras; vnde dividitur in viginti quatuor minores partes, horas dictas, quæ per totum anni spatium manent sibi æquales: Vel de *die artificiali*, qui mensurari solet à sole oriente ad occidentem: Et proindè

° *Dan. 9. 24.*

 duo-

duodecim horæ, in quas secatur, longiores sunt æstivo, quàm hyberno tempore. De hoc die loquitur Dominus,[p] *Nonnè duodecim sunt horæ diei?* Alter ille dies aliàs dirimi solebat in duas æquales partes, quarum vnam diem, alteram noctem vulgus appellabat; & vtramq; similiter in quatuor minores partes discriminârunt: quarum singulæ trium horarum naturalium spatium continebant. Noctis quadrantes dicebantur *vigiliæ*; diei autem, *horæ maiores*: & præter primum quadrantem diei, quē vocarunt *primam horam*, omnes appellationem suam acceperunt ab hora naturali proximè præcedenti. Primus quadrans, qui complectebatur tres primas naturales horas, erat illis *hora prima*: secundus quadrans, qui à *tertia* naturali ad sextam. i. ad meridiem extendebatur, dicebatur *hora tertia*: tertius quadrans qui à *sexta* vsq; ad nonam numerabatur, *hora sexta* nomen habuit; vltimum, *horam nonam* appellârunt, eò quòd à *nona* inciperet, & reliquas diei horas vsq; ad duodecimam, seu nostram sextam cōtineret. Horas illas duodecim, de quibus supra erat sermo,[q] nonnulli nominant *horas diei*: hos quadrantes verò vocant *horas templi*, & *horas orationis*; quoniam hâc supputandi ratione Iudæi vtebantur in distinguendis precibus, & sacris peragendis; de vtrisq; meminit scriptura. *Act. 2. cùm sit hora diei tertia. Act. 10. vidit quasi horâ diei nonâ Angelū. Act. 3. Ascenderunt in templum ad horam orationis nonam. Act. 10. Ascendit Petrus vt oraret circa horā sextam.* [r] Talis ratio obseruatur etiamnū hodie in Pontificiorum templis, vbi preces quas vocant *Canonicas*, *Primas, Tertias, Sextas, Nonas appellant*. Hinc explicari

p Iohan. 11. 9.

q Tolet. in Ioan. 19. annot. 8.

r Hospin. de Orig. festor. Iud. cap. 1.

cari poteſt difficultas, quæ maxima antiquorum & & recentiorum ingenia diu exercuit, circa notationem temporis, quo Chriſtus crucifigeretur. Marcus enim narrat horâ tertiâ fuiſſe Dominum crucifixum: Ioannes verò horâ quaſi ſextâ Pilatum tuliſſe ſententiam. Nec tamen Evangeliſtæ ſunt diſcordes, ſed idẽ docent factâ computatione ſecundum templi rationem: nam modicum illud temporis, quod proximè antecedebat ſonum ſextæ, erat finis tertiæ, & principium ſextæ. Quod igitur dicebatur fieri horâ tertiâ, vel circa finem tertiæ, poſſet etiam dici fieri quaſi horâ ſextâ. Quin autem ſciendum, quòd Iudæi in ſupputatione horarum, non à meridie & mediâ nocte, ſicuti nos; ſed ab occaſu ſolis vſq; ad ortum, rurſus ab exortu ad occaſum initium ceperunt: ideoq; prima hora matutina ea fuit illis, quæ nobis ſeptima; tertia, quæ nobis eſt nona; ſexta, quæ nobis eſt duodecima; nona, quæ nobis eſt tertia pomeridiana; duodecima, quæ nobis eſt ſexta veſpertina: eadẽq; ratio fuit in nocturnis horis numerãdis. Rem omnem in ſubjecta tabella lectori ob oculos poſui, vt melius intelligatur.

Horæ Iudaicæ Eccleſiaſticæ, ſive templi.		Horæ Iudæorum civiles		Horæ noſtræ Iudæorum reſpondentes.	
Matutin.	Prima	Mat.	1.2.3.	Mat.	7.8.9.
	Tertia		4.5.6.		10.11.12.
Veſpertin.	Sexta	Veſp	7.8.9.	Veſp	1.2.3.
	Nona		10.11.12.		4.5.6.

Quùm jàm adveſperaſceret, ad excubias ſolebant convenire: vnde noctis quatuor partes, totidem nuncuparunt *vigilias*, nempè *1*am. *2*am. *3*am. & *4*am. vigiliam. *Quartâ autem noctis vigiliâ, abÿt ad eos Ieſus &c.*

Mat.

Mat. 14. 25. Ipsa porrò sepitmana à præcipuo eius die dicitur aliquando *Sabbatum*, juxta illud. *Luc. 18. Ieiuno bis in Sabbato*; & [s] aliquando in numero plurali, *Sabbata*, vt *Luc. 24.* μιᾷ τῶν σαββάτων, *vna Sabbatorum*. In qua locutione duplex Hebraïsmus observari debet, primus in dictione illa *vna*: nã *vnũ* & *Primũ* apud Hebræos idem significabant. Vnde *vnam* Sabbatorum, inquit [t] Theophylactus, *primam* diem hebdomadę, quę apud nos est dominica vocabãt: 2 Hebraïsmus est in voce *Sabbatorum*, vbi fit *enallage* numeri, quam ideò notandam censui, quoniam perperam ex hoc loco [u] Nicephorus conatur probare, singulos hebdomadæ dies olim *Sabbata* fuisse dictos. Notandum demùm est, quòd dies vocarunt *lunas*, ita vt *primam & secundam lunam, ac primam & secundam diem* ponerent pro eodem, vt *primo tertij Esdræ. Iosias immolavit Phase quarta decimâ lunâ primi mensis*, pro eo quod alibi fuit scriptum quarta decimâ die: & hæc eadem locutio sæpiùs occurrit in ecclesiasticis scriptoribus de Paschate agentibus. Eodem modo hodiè latina ecclesia vocat diem Solis, Lunæ, Martis, &c. *primam, 2am, & 3am. feriam, &c.*

s Luc. 24. 1.

t Theophylac. in Luc. 18. Item Franc. Iunius anal. exposit. Deut. 25.

u Nicephorus lib. 1. hist. cap. 33.

CAP. 2.

Divisio festorum Iudaïcorum,

Distinctio illa dierum in dies *civiles*, & *sacros* apud omnes penè gentes invaluit: at altiùs spectabant Iudæi in celebrandis festis, quàm Populus gentium: Vterq; populus aras & altaria erigebant, victimas immolabant, thure & suffitu adorabant,

bant, sacros dies observabant: sed Judæi in honorem Dei illius, cui nomen erat Iehovah: Gentes autem in honorē θεᾶ ἀγνώςω, Dei incogniti. Quare sacrificijs & festis Gentium prorsus missis, in hoc totus incumbā, vt rectam rationem solennitatum Iudaïcarum teneamus. Celebritas earum in his potissimùm sita erat; in *oratione*, *sacrificiorum oblatione*, *cessatione ab operibus servilibus*, *& animarum afflictione*, non quòd omnia hæc in singularum celebritate, sed quòd aliqua saltem exigerentur.

Feriarum autem apud Hebreos celebratarum, quædam erant ex divino præcepto, quædam ex humano instituto indictæ; illarum quædam hebdomadariæ, vt Sabbata: quædam menstruæ, vt Neomenię: quædam anniversariæ, & hæ fuerunt sex: Prima dicebatur Pascha, seu Phase: Secunda Pentecoste, seu festum primitiarum: Tertia festum tubarum: Quarta festum expiationis: Quinta Scenopegia, seu festum Tabernaculorum: Sexta Collecta, seu cœtus. Hæ verò quæ sequuntur, iure humano institutę, & anniversariæ erant omnes, nimirum Encęnia, festum Iudith, festum Mardochæi, festum à Simone Macchabæo institutum, & festum ignis. De his singulis suo ordine quantum ex sacra scriptura consequi licet.

Cap. 3.

De Sabbato.

VT rectam hujus festi intelligentiam teneamus, occurrit primò discutienda nominis etymologia

x Lactant. inst. lib. 7. cap. 14.

y Plutarc. 4. lib. symp. quaest. 5.

z Ians. concord. euang. cap. 37.

gia. x Lactantius hujus nominis primam originẽ ab Hebraïco trahi existimat, nempe à שבת *Seba*, quod *septem* significat: inde Sabbatum, quasi dies septimus. Sed hoc ex ignorantia Hebræi sermonis profectum videtur, nam Sabbatũ cum ת scribitur, non ע. Longiùs à scopo, y quicunque nomen Sabbati à verbo græco σαβάζω, quod tripudiare more bacchantium significat, deducunt: quoniam Iudæi (vt aiunt) solebant die Sabbati sese invitare ad largiùs bibendum. Verũ Etymon est à verbo שבת *Sabbath*, quod significat cessare, desinere, quiescere &c. eò quòd septimo die Deus quievit, cessavitq; ab opere creationis mundi, & eo die ab omni servili opere vacare Iudæis præcepit. Quod innuit z Iansenius de discrepantiâ inter שבת & שבתון *Sabbath*, & *Sabbaton*, non vndiquaq; firmum videtur: nam preterquàm quòd promiscuè vsurpantur, & proinde *Sabbath* non habet se semper vt primitivum, significans *requiem*; & *Sabbatum*, vt derivativum significans *festum*, non rectâ est illius observatio de dativo græco σάββασι, quem derivari autumat à nominativo σαββὰτ, non à nominativo σάββατον: nam Græci ad vnum omnes docent σάββασι dici per metaplasmum pro σαββάτοις. Sin autem discrepãtia aliqua ponenda sit inter duas illas voces, magis ad scopum loquuntur Hebræi quidam, qui sic statuunt quòd Sabbath significet quietem sive cessationẽ, quæ incipit à vespera vnius diei, & desinit in vesperam sequentis: Sabbaton verò esse nomen diminutivum, quasi dicas *Sabbatulum*, & per illud significari illud modicum temporis, quod Iudæi de suo ad Sabbatum adjiciunt, i. vt ipsi loquuntur, *à profano ad sacrum*.

crum. Judæi enim quia nesciunt, vt illi dicunt, momẽtum, quo Sabbatum incipit, vt tutiùs agant, horâ vnâ citiùs illud auspicantur, & horâ vnâ tardiùs desinunt: hanc additionem *de profano ad Sacrum* (vt aiunt) vocant illi Sabbaton. *Vid. Hospinian. de origine festorum Judaïcorum, cap. 3.* Sed quoniam hujusmodi discrimen non potest elici ex scriptura sacra, ego potiùs sentio illas voces promiscuè vsurpari: Ideoq; tria hæc, vnde pleniorem hujus festi cognitionem haurire licet, perpendemus: primò, quo discrimine differt à reliquis festivitatibus, quas [a] omnes communi nomine *Sabbata* Iudæi appellârunt. 2°. quas ob causas instituebatur. 3°. quamobrem, & quatenus cessavit. Ad primum quod spectat, hoc erat differentiæ: In propriè dictis Sabbatis, quæ septimo quoq; die recurrebant, adeò nihil operis erat licitum, vt abstinendum etiam à cibis coquendis, & condiendis: vt patet *Exod. 16. 24.* vbi dicitur, *Sabbatum sanctum est Iehovæ cras; quod coctur i esset is coquite hodie, & quod elixaturi essetis elixate.* Imò nec ignem accendere licebat, quemadmodũ præceperat Dominus, *Exod. 35. 3. Ne accẽditote ignẽ in vllis habitationibus vestris die Sabbati.* In alijs verò licebat ea parare, quæ ad cibum pertinebant: quod cõstat *Exod. 12. 16. Nullũ opus fiat in eis: veruntamẽ quod comedendum erit vnicuiq; animæ, illud solum parabitur vobis.* 2°. advertendæ sunt causę institutionis, quarum præcipuas perstringemus potiùs, quàm tractabimus. Prima erat, vt memoria creationis mundi refricaretur, & subinde recoleretur, ad retundendos errores Philosophorum, qui dicturi erant mundum fuisse ab æterno. Secunda, vt quemadmodum locum certum,

[a] *Levit.* 23.

sic etiam diem statum haberet populus Israëliticus, quo conveniret ad legem audiendam, ceremonias peragendas,& omnes ritus sacros præstandos. Tertia, vt illi, illorumq; familia, & ipsa jumenta gratâ laborum remissione reficerentur: & ex hâc septimi diei quiete, habiliores & alacriores fierent ad obeunda munera servilia hebdomadæ subsequentis. Quarta & primaria erat, vt spiritualis requies adumbraretur, quâ monebantur, non solùm ab operibus œconomicis, politicis,& alijs ejusmodi feriari; sed à peccatis omnibus cessare, vt Deus in illis exercere posset opera sua! *Sabbata mea dedi illis in signum, vt scirent, quòd sim Iehovah sanctificans illos. Ezech.20.12.* Iam verò vt nobis constet, quamobrem,& quatenùs cessavit hoc sabbatum, sciendum, quòd quemadmodum ex festis solùm hoc tam in futuri alicujus beneficij, scil: Messiæ exhibendi significationem, quàm in præteriti, scil: creationis mundi memoriam erat primò institutum: sic ex præceptis solùm hoc partem habet ceremonialem,& temporariam; partem aliam moralem & perpetuam. Ceremonialis ejus pars, quæ fecit vt diceretur à Christianis *ceremoniale, typicum, & Mosaïcum Sabbatum*, pręscripsit,& destinavit exercitio cultus divini diem ab Ethnicis Saturno dicatum; ita vt omnis libertas mutandi illum diem, vel alium quempiam consecrandi Judæis pręcisa esset. At verò per Christū libertas dierum donata erat ecclesiæ, quæ justissimis de causis Sabbathi diem mutavit in diem Dominicū; quo scil: Dominus resurrexit, peractâ nostrî redemptione. Moralis pars igitur, quę exigit è septem diebus

vnum,

vnum, quo divino cultui vacemus, adhuc durat, & ad nos spectat, nec minus oportet nunc in Christiana, quàm olim in Iudaica ecclesia certum aliquem esse diem, quem consecremus prædicandæ & audiendæ doctrinæ coelesti, precibus publicis habendis, alijsq; pietatis, & charitatis officijs præstandis. Notandum autem, quòd quamvis Iudæi more suo omnia festa appellârunt *Sabbata*, tria tamen præ reliquis frequẽtiùs, & justioribus de causis hoc nomine insigniverũt: 1°. festum illud, de quo præsens instituitur sermo, quod septimo quoq; die redeunte celebrârunt, & [b] nonnulli *sabbatum dierum* vocârunt: 2°. festũ illud, quod septimo quoq; anno recurrente observârunt. Nam *Exod.* 23. & *Levit.* 25. jubebantur Judæi, postquã per sex annos arâssent terram, & fructus collegissent, septimo anno eam cum frugibus relinquere pauperibus, nec eam colere pro anno insequenti: & si quas fruges absq; cultura, & quasi sponte suâ produxisset, eas voluit Deus non ab agrorum Dominis, sed à pauperibus & advenis colligi: & hoc Sabbatum dicebatur à doctioribus *Sabbatũ annorum*. Hujus legis causa princeps fuit, vt ipsius terræ quiescentis aspectu, excitarentur ad veram sabbati sanctificationẽ: hanc sequebatur causa secundaria, nempè, vt indigentijs pauperum & advenarum subveniretur. 3°. festum illud Jubilæum, quod anno quinquagesimo celebrari solebat; quo temporis intervallo, quoniam septies septem anni. i. 49. decurrebant, idcirco dicebatur, *Sabbatum post Septimanas annorum*: sed de hoc suo loco. Hic variæ sententiæ de *Sabbato*

b *Zanch. in. 4. precept.*

secundo-primo sunt expendendę: sic enim legitur *Lucæ 6. 1. Factum est verò, vt Sabbato* * *secundo-primo Iesus pertransiret per sata: vellebant autem eius discipuli spicas, edebantq́ confricantes manibus.* Minimè dubium est, quin hoc Sabbatum pertinuerit ad vnum aliquem ex diebus festis, quos semel quotannis celebrari lex jubebat: at verò vtri rectius tribuatur, adhuc sub judice lis est. [c] Car: Sigonius sic scribit: Hebræi non sempèr celebrabant Pascha primo mense, sed interdùm secundo, vt apparet ex *2. paralip. 30:* Cùm autem 2°. mense faciebant, fortasse *secundo-primum* vocabant, significantes Pascha secũdo mense celebratum, quod primo oportuit: Venit ergò Christus primo mẽse ad Pascha sub messem; quo non celebrato, venit iterùm secundo jam mediâ messe: vndè inquit *Sanctus Marcus* 2°. loquens de eadem re; *Et factum est illum iterum iter facere per sata.* Verùm hæc expositio reprobari potest. Primò quia solâ conjecturâ nititur, nec probari potest ex autore vllo, sive ecclesiastico, sive profano, quòd Hebræi vnquam vocârunt mensem illum secundum, *secundo-primum.* Secundò, quoniam illa particula *πάλιν* sive *iterùm* in plerisq; codicibus nõ reperitur, imò prorsus omittitur in omnibus, quotquot mihi cõtigit videre, nisi in vna Crispini editione quæ in margine etiam, non in contextu habet illam particulam *πάλιν* additam. Tertiò quamvis demus illud *πάλιν* omissum fuisse ex incuria Typographi, non statim convincitur Christum *iterùm*, id est, *bis* per sata ivisse: sed potiùs quòd Pharisæi *iterum*, id est, *bis* Christum calumnijs oneraverunt: & sic interpretatur [d] Jãsenius. Iohannes Chrysostomus, inquit, [e] Sigonius, putat

* Δευτερο-πρώτῳ. *Angl.* The second Sabbath after the first.

c *De repub. Heb. lib. 3. cap. 13.*

d *Iansen. concord. Evang. c.* 37.

e *Sigon. de rep. Heb. l. 3. c. 13.*

putat septimum Hebdomadæ diem, tunc temporis in Neomeniam Aprilis incidisse, ideoq; dici Sabbatũ secundo-primum, quia duplex tum festum fuerat, septimus dies,& Neomenia:sed hanc opinionem ipse Sigonius reijcit justis de causis. Sunt qui Pentecostes festum hoc nomine ab Evangelista intelligi volunt,eò quòd *secundum* sit post Pascha *primum* & precipuum omnium festorum. Deinde quòd putãt hoc alio tempore fieri à Christi discipulis non potuisse, quàm in ipso Pentecostes festo aut circà, quoniam antè non ità maturuerant segetes, vt manibus confricari possent. Sed hi totâ errant viâ: nam in terra Iudæa citiùs venit messis, quàm in his Septentrionalibus regionibus:si enim immaturæ essent spicæ in festo Paschatis,quomodo præcipitur, *Levit* 23.11.vt Sacerdos altero die Paschatis agitaret manipulum frugum,sive primitias messis?Manet igitur inter multas alias opiniones quarta, quam non pauci, aut gregarij,sed reverà[f] multi,ijq; docti scriptores,vt probabiliorem hodiè amplexantur:nimirum, quòd Evangelista intelligit illic loci vltimum diem festi Azymorum, quoniam cùm dies intermedij omnes profesti erant,primus & vltimus pro sacris habiti, & pari solennitate celebrati erant, *Levit*.23. vnde ille dicitur *Sabbatum primum*,hic *Sabbatum secundo-primum*. Vt tandem claudamus orationem de Sabbato, tria verba sujicienda censui,ex quibus lectori constet, quot passus iter Sabbati contineat. Dicit[g] non nemo iter Sabbati non plus habere,quàm mille passus:[h]sed vno ore pleriq; omnes docent, quòd iter Sabbati duo millia passuũ habuit,quod probatur ex *Ioannis* c.11.

f *Hospin. de orig.fest.Iud.c.3. Piscator & Beza in Luc.6. Epiphan.cont. hæres.l.2.tom.1.*

g *Dion.Carth. & Piscator in Act.1.12.*

h *Hieronym. ad Algas.quæst.10. Hospin.de orig. festorum Iud. c. 3.Beza, Erasm. Calvinus in Act.1.*

ver-

vers.11. collato cum *vers.12.cap.1. Actor.* nam Ioannes dicit Hierosolymam distare à Bethania stadijs fere quindecim, quæ mille & nongentos circiter passus continet: Erat autem Bethania in latere montis Oliveti: at mons Oliveti aberat Hierosolymis iter Sabbati.

CAP. 4.

De Neomenia.

NEomenia græcum nomen est, idem significans, quod latinè Novilunium, vel Calendæ, Judæi enim menses & annos secundum lunæ motum computabant, & à nova luna auspicabantur menses. Primùm igitur occurrit tractanda festi institutio, deinde sacrificia in eo offerenda. De institutione legitur *Num. 28.11. In initijs mensium vestrorum offeretis Holocaustum Domino.* Causam certam hujus celebritatis non expressè demonstrant sacræ literæ: autumant verò interpretes, Calendas vniuscujusque mensis fuisse à Deo ideò consecratas, quia nullum tempus aptius erat, quo gratiæ agerentur Deo ob beneficia accepta mense præterito, & quo ea impetrarentur, quibus opus futurum viderant mense futuro, quàm ipsum *novilunium*. Hoc pacto etiam avocabatur populus Dei à superstitionibus Ethnicorum, edoctus scilicet, quòd mensis & totius anni, omnisq; temporis ratio penes Dominum erat; & proinde siquid boni, aut mali evenisset, illud non tribuendum fortunæ temeritati, aut naturæ legibus. Si quis quærat, quare novilunio, non plenilunio oportuit hanc

hanc solemnitatem servari, præterquam quòd sic visum est Deo, & voluntas Dei vice rationis stare debet, responderi potest, Deum in hac re Israëlitarum imbecillitati prospexisse, vtpote quos præviderat in idololatriam nimium propensos: Voluit igitur festū suum agi non in plenilunio, quando gentes sacrificare consueverant, sed in lunæ defectione, ne omnia beneficia lunæ virtuti referrent accepta. In his autē mensium calendis offerebatur holocaustum Domino, duo juvenci subrumi, aries vnus, agni septem anniculi immaculati: cum singulis iuvencis tres decimas similæ oleo permixtas, cum ariete vno duas decimas similę oleo permixtas, & cum singulis agnis singulas decimas similę oleo permixtas lex decernebat. Libamina hujusmodi decernebat, pro vno vitulo dimidium * hin vini: pro ariete vno tertiam partem hin: & pro quolibet agno quartam partem hin. His adjiciebatur hircus vnus pro peccato hominum abutentiū influentiis cœlestibus, & murmurantium adversus Deum, si quando aliæ essent tempestates, quàm ipsis commodum videretur. *vid. cap. 28. Num. vers. 11. 12. 13. 14. 15.*

** De hac mensura vid. cap. de mensuris.*

CAP. 5.

De Paschate & Azymis.

ALiqui [i] Patrū existimârunt nomen Paschæ deductum esse à verbo πάσχειν. i. pati, quia passionis Domini memoria in Paschate celebratur: quorum sententiam refert, & meritò refellit [k] Augustinus: nam Pascha nomen est [l] Chaldæum, non

i Ambrosius lib. de mysterio Paschæ cap. 1. Item Tertul. lib. contr. Iudæos.

k August. epist. 119.

l Lib. 3. vitæ Mosis.

Græcum, quemadmodum testatur Philo Judæus: dicitur Hebraïcè פסח *Pasach*, pro quo Theodotion (vt refert Theodoretus *quæst.24.in Exod*) mutatis punctis legit *Phase*, quæ vox significat transilire, & saltare: vnde primariò non significat transitum populi per mare rubrum ad terram promissionis, vt docet *Nazianzenus orat.2.de Pascha*, & *Augustinus tract.55.in Ioan.* Sed transitum, vel potiùs saltum illum angeli, aut transilitionem (si ita loqui liceat) quando occidebat primogenita Ægyptiorum; domos autem Israëlitarum, quarum postes vncti erant sanguine agni, nullo damno illato transiliebat; vnde celebritas *transilitionis*, quæ in singulis recolebatur annis, dicebatur Metonymicos Pascha; sin autem attentè consideremus sanctas scripturas, Pascha tres habet significationes. Primò sumitur pro celebritate anniversariâ, quæ in memoriam hujus liberationis per transilitionem angeli instituebatur: de qua *Num.28.Levit.23. Decima quartâ die primi mensis Phase Domini est, decima quintâ solennitas.* Advertendum autem aliud esse *Pascha*, seu *diem Paschatis*, aliud *festum* seu *diem festum Paschatis*: nam decima quarta dies erat *Pascha*, vel reverà *festi Paschatis Parasceue*: at verò decima quinta *festum Paschatis*, vt patet ex verbis allegatis, *Num.28.* Secundò significat omnia animalia, quæ vel in Paschate propriè dicto, vel in septem diebus azymorum immolabantur: quo sensu legitur *Deut.16. Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus.* Hîc *Phase* dicebatur victima ovium & boum, quorum magna copia offerri, & à mundis comedi illis septem diebus solebat, quemadmodum

admodum constat, *Num.* 28. at verò ex illis omnibus animalibus, agnus paschalis præcipuè, & cęteris frequentius nuncupatur *Pascha*. Tertiò significat Pascha totam solennitatem, quæ incipiebat decima quartâ die mensis ad vesperam, & continuabatur per septē dies *Azymorum*, sic dictos ab ἀ priuatiuâ particulâ, & ζύμη fermentum, quoniam amoto omni fermento è domibus suis, septem diebus panes azymos edebant: quorum vltimus & primus i. decimus quintus, & vigesimus primus solummodò erant sacri. Ratio autem quare extremi hi dies celebrarentur, non item intermedij, hujusmodi dari solet ab Hebræis, qui vno ore dicunt tantundem spatij intercessisse inter profectionem Israëlitarum ex Ægypto, & Ægyptiorum submersionē: ideóq; mandatum fuisse, vt primus & vltimus dies præ cæteris celebrarentur. Quæri hic meritò potest, quomodò dicitur, *Exod.* 12. 18. *quarta decimâ primi mensis vespere comedito te azymos*: cùm tamen constet primam Azymorum diem esse decimam quintam? Ad quod puto ego sic responderi posse. Sciendum est, quòd secundum legē debuerant Judæi comedere non solùm agnum, sed etiam panes azymos illâ nocte, quæ proximè antecedebat decimam quintam diem, & secundum variam computationem ortam ex duplici ratione dierum, *civilium* scil: & *sacrarum*, de quâ supra diximus, nox illa poterat pro arbitrio, vel præcedenti, vel sequenti diei annumerari: nam teste [m] Perkinsono Judæi metiebantur *diem civilem*, ab exortu vno ad alterum exortum solis: *diem sacrum* autem, ab occasu vno ad alterum occasum, i. à vesperâ præcedentis, ad vesperam se-

m *Perkins. in. 2. Vol. lib. proem. sive introduct.*

sequentis diei. Jàm si fiat computatio secundum priorem rationem, verum est, quòd decimus quartus dies erat primus dies Azymorum: sin secundum posteriorem, manet opinio recepta, quæ docet festum Azymorum incepisse decimo quinto die: & hoc modo debent verba Mosis in loco allegato, tum etiam Josephi, *lib. 2. antiq. cap. 5.* exponi: vbi refert Judæos vocâsse dies azymorum octo. Quod spectat ad modum, vel gestum, quo agnum hunc paschalem edi oportuit, autumant non pauci eos inter epulandum nō sedisse, aut discubuisse, sed stetisse: vnde testante [n] Theophylacto, asserebant nonnulli Christum vltimo ętatis suę anno, non comedisse agnum paschalem, eò quòd Evangelistæ dicunt eum in hâc cœna discubuisse: ad cujus confirmationem etiam illud notant, quod in hâc Christi cœnâ, jus, cui intingebatur panis, erat appositum, cùm lex jubebat edere agnum assum igni, non aquâ coctum. Alij autem putant moris fuisse apud Judęos, vt primùm Pascha stantes comederent, deinde alios appositos cibos discumbentes acciperent. Cui opinioni videtur ipse [o] Theophylactus favisse, ita vt duplex pararetur cœna; *legalis* vna, *vulgaris* altera: illam sumebant *stantes*, hanc *discumbentes*: in illa nihil aliud apponi debere præter agnum legalem, & panem infermentatum, additis amaris herbis, in hac autem quoslibet apponi cibos: in illa seruitutis Ægyptiacæ, in hac autem liberationis adeptæ memoriam refricari aiebant; & hinc consuetudinem inter Christianos natam arbitrantur, vt Eucharistiæ sacra convivia conjungerent, quæ *Agapas* nominârunt. Posteriorem hanc sententiam non prorsus reijcio, eò quòd

vi-

n *Theophylact. in Mat. 26.*

o *Theoph. in Ioan. cap. 22.*

video eam placuisse gravissimis authoribus: at nō video istiusmodi necessitatem standi probari posse ex verbis Mosis; modus enim edendi sic traditur; *Exod. 12. Sic autem comedetis illum, renes vestros accingetis, & calceamenta vestra habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes.* Quæ omnia etiam fieri possunt à sedentibus. Secundò nec hoc mihi satis constat, quòd solum agnum tunc edere eis fuit præceptum, quin licuit etiam alios cibos apponi: vndè nō mirum, si aliquid adesset, in quo panis intingi poterat. Vbi diximus solennitatem hanc paschalem incepisse ad vesperam, in Hebræo dicitur *inter duas vesperas*; cujus loci interpretatio magnum solet scriptoribus facessere negotium. Sunt qui duas vesperas sic intelligunt, vt *prima* sit in occasu solis; *secunda* cùm lumen solis aut radij solares in aëre non videantur; vndè illa dicitur *vespera solis*, hæc *vespera luminis*, & tempus intermedium *tempus crepusculi*, quod paulo ampliùs integrâ horâ durat: hujus sententiæ primum authorem P Hospinianus asserit Rabbi Aben Ezram fuisse: sed si eo tempore cœpit immolari & occidi agnus, cùm aliquot horæ necessariæ fuerint ad parandū & coquendum eum, profundam ergo noctem fuisse necesse est, priusquàm inciperent illum edere. Hac ratione motus David Kimhi, asseruit *primam* vesperā incipere à meridie, quādò sol incipit declinare ad occidentem; *secundam* verò post occasum solis. Alijs magis arridet sententia, quæ dicit vesperam apud Judæos non à meridie, sed à tribus horis post meridiem, à nona nimirùm hora cœpisse, durasseq; vsq; ad duodecimam, hoc est, à nostra tertia ad sextam, ita vt vltimus

P *Hospin. de orig. Iud. festorum cap. 5.*

mus

mus quadrãs diei, quia in occasu solis terminatur, diceretur *vespera*; & initium noctis diceretur altera *vespera*; illa prima adnumerabatur diei praecedenti, haec secunda diei sequenti; illa dicebatur *Vespera diei inclinantiũ; haec vespera noctis ineuntis*. Hęc sententia omnium maximè cõgruit cum Antitypo .i. cum Jesu Christo, qui testantibus Evangelistis, nonâ diei horâ, quae erat tertia post meridiem, expiravit. Constat ex dimissione Barabbae morem receptum fuisse apud Judaeos, ex vinctis vnum in hac solennitate dimittere; de causa hujus dimissionis q triplex est conjectura; Theophylactus post Origenem existimat hunc morem sumptum ex Ionathae filij Saul liberatione, quâ eum populus jam patris sententiâ morti addictum asseruit. 2° putant alij hoc factum fuisse ob Festi reverentiam & laetitiam. 3° alij propabiliùs in memoriam Ægyptiacae liberationis, quae eâ festivitate recolebatur. De paschate Christianorum non hujus est loci disserere, sequitur igitur, vt instituamus collationem typi cum re significata, ex qua collatione innotescet ardens ille amor, quo Christus ab ęterno ecclesiam suam amplexus est, illę enim erat agnus mactatus à jactis mundi fundamentis, sed hoc planum fiet in tabella sequenti.

q *Iansenius in concord. Evang. cap. 142.*

Colla-

Collatio Typi, & rei significatæ.

Pascha nostrum est Christus. 1. Cor. 5.

Typus.	Res significata.
1. *Agnus ex grege.*	1. *Christus verus homo.* Ioan. 1.
2. *Integer separatus.*	2. *Sine peccato.* Heb. 7.
3. *Mactandus, & assandus.*	3. *Passus, et mortuus.* 1. Cor. 5.
4. *Non fractis ossibus.*	4. *Sine fracturâ ossium mortuus.* Ioh. 19.
5. *Circa vesperam.*	5. *In fine mundi.* Heb. 1. 9.
6. *Aspergendi postes eius sanguine.*	6. *Sanguis eius purificabit nostras cõscientias.* Heb. 9. 14.
7. *Vt transiliret interfector.*	7. *Vt liberemur à morte æternâ* Heb. 2.
8. *Manducandus, & quidem in singulis familijs.*	8. *Applicatio singulis per fidẽ.* Rom. 1. Ioan. 6.
9. *Totus.*	9. *Iuxta omnes articulos fidei.* 2. Tim. 3.
10. *Sine fermento.*	10. *Sine hypocrisi.* 1. Cor. 5.
11. *Cum herbis amaris.*	11. *Cum tolerantiâ crucis.* Mat. 10.
12. *Festinantèr, & peregrinantium habitu.*	12. *Studio proficiendi, & expectatione cœlestis vitæ.* Heb. 13.
13. *A solis circumcisis.*	13. *Soli renati edunt eum.* Ioh. 6. Heb. 13. 1. Cor. 11.

CAP.

CAP. 6.

De Pentecoste Iudæorum, seu Hebdomadarum festo.

PEntecostes festum quinquagesimo die à festo Paschatis celebrari solebat, quod probari potest ex notatione græcæ vocis: nam Πεντηκοστή, idem est, quod Latinè quinquagesima: est autem in fœminino genere, quia subauditur ἡμέρα. i. dies: quemadmodum hodiè Ecclesia Latina vocat tempus Quadragesimale *Quadragesimam*, ab vltima istius temporis die. [r] *Iosephus* dicit Hebræam vocem idem sonare, sic enim loquitur; Post Paschale sacrum, elapsis septem septimanis, hoc est, quadraginta nouem diebus, quinquagesimâ, quam à numero *Asartha* Hebræi vocant, offerunt Deo panem, &c. At verò ob illas septem *Hebdomadas* interiectas inter Pascha & hoc festum, dicebatur aliquandò *festum Hebdomadarum*, & ob duos panes primi tritici, primo huius festi die oblatos nonnunquam dici solet *festum primitiarum*. Instituebatur primũ vt rediret Israëlitis in mentẽ promulgatio legis in monte Sinai quinquagesimo à Paschate die facta: Itẽ vt jã constitutâ inter ipsos republicâ proprijs, nõ alienis legibus vterentur. Cùm enim antè Ægyptiorum legibus vt serui paruissent, Deus quinquagesimo die ab exitu leges sanciuit, quibus ipsorũ regeretur respublica. Est hæc cõmunis omniũ ferè [s] Patrum & recentiorum sententia: sin alitèr cuipiam videbitur, quoniam apertis verbis non asserit scriptura, non impedio, quo minùs suo fruatur sensu.

[r] *Ioseph. antiq. lib.3.cap.10.*

[s] *Chrysost: ser. 2. de Pentecoste. Cyprian: serm: de spiritu sanct. Hieronym. ad Fabiol. mans. 12. Piscator & Bullinger: in Act.2. Hospin. de Origin. fest. Iudaic. Bellarm. lib. de cultu sanct. c.13 Ferus in magn. Pentecost. festiuit:*

sti. Porrò alia causa non obscurè exprimitur, *Deut. 16.* vbi sic legitur, *Celebrabis festum Hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem Domini Dei tui.* Quibus verbis innuit Moses quandam gratiarum actionem tunc temporis deberi Deo, pro frugum, seu segetum vbertate à Deo acceptâ; & hâc ceremoniâ duorum panium oblatorum, agnoscebant frugum copiam non aliunde prouenire, quàm ex Dei omnipotentis beneficio. Postremò, Pentecoste hæc Iudaica adumbrabat Pentecosten Christianam .i. quinquagesimum diem à resurrectione Domini, in quo Christus spiritu suo in cordibus hominum insculpturus erat legem suam, & quasi nouam rempublicam constituturus, effusis Spiritus Sancti primitijs super Apostolos. Iam verò, vt rectam computationem teneamus, sciendum, quòd quinquaginta hi dies numerari solebāt à secundo Azymorum, quemadmodum patet *Leuit. 23.* ita vt quinquagesimus ab illo dies diceretur Pentecoste. Non me latet Bellarminum alitèr sentire, qui docet exordium numerandi sumi à tertio azymorū, si quandò secundus dies inciderit in Sabbatum. Hanc opinionem Bellarmini in medium protulisse sufficeret, nisi quòd viderem [t] Iacobum Gretserum futilem scriptorem, Iesuiticâ societate indignum, de Hospiniano hanc ipsam ob causam tantos agere triumphos, quoniam scil: Bellarmino hac in re calculum suum negat se adiecturum: vt autem Gretseri tum inscitia, tum malitia omnibus fiat conspicua, breuiter expendemus argumentum Bellarmini, quod si inualidum apparuerit, cristas tandem demat fumiuendu-

t *Lib. 1. de Festis, cap. 21.*

 lus

lus ille Iesuita. Causa, inquit Bellarminus, cur illi dies quinquaginta non inciperent à die primo Azymorũ, sed à secundo, est, quia oportebat illo die multa opera seruilia facere, quæ die festo erant prohibita, nimirum oportebat metere manipulum frumenti, & exiccare, & adferre ad sacerdotem: at ista omnia magis prohibita erant die Sabbati, quàm die primo Azymorum: ergo non licebat à secundo die Azymorum, quandò erat Sabbatum, incipere dies illos quinquaginta. In hoc argumento præterquam quòd fatetur Bellarminus se terere viam quam nemo hominum antè præivit, dari postulat, quòd opera illa seruilia erant sola causa, quare exordium dierum 50. peteretur à secundo, non à primo Azymorum: quod eâdem facilitate potest negari, quâ asseritur: nam opera seruilia à Deo jussa, etiam in die Sabbati erant licita; Sacerdotes occidebãt animalia ad sacrificium, & alia ministeria exercebant: Sabbatum tamen non violabant, *Matth.12.* Et sola causa, quare non licuit à primo, sed à secundo Azymorum die computare, erat, quoniam lex promulgabatur quinquagesimo die à secundo Azymorum, non à primo. Sin autem elargiamur hanc causam valuisse ad immutandum institutũ Dei, eadẽ etiam valebit ad stabiliendam traditionem Rabbinorum, qui in secũda templi instauratione statuerunt, vt si quandò viderent festum Palmarum incidere in sabbatum Hebdomadarium, primus anni dies, sive Neomenia primi mensis transferretur in sequentem diem. Nam non aliundè fluxit illa traditio, quàm ex eo, quòd putârunt Sabbatum violari, si eo die ramos colligerent, aut circumferrent: at[u] hæc traditio

[u] *Hanc traditionem fusè narrat Hospinian: lib. de Orig. fest. Christ: cap. de Pasch.*

ditio vt fabulosa', & commentitia reijcitur ab ipso Gretsero, & eodem Gretsero referente, à Bellarmino ipso. Quod spectat ad temporis spatium huic solennitati indictum, celebrandum erat vnico tantum die: verùm ita, vt totus tribueretur cultui divino.

CAP. 7.

De Festo Tubarum.

REpetendum hîc est quod supra monui, duplicẽ scil: anni rationem apud Hebræos fuisse; vnam *sacram*, incipientem à mense Abib. i. apud nos 25. Martij; alteram *civilem*, incipientem mense Tisri. i. secundum Kalendarium nostrum 25. Septembris. Jam computatione factâ ad primam rationem, mensis Tisri erat in ordine mensiũ septimus: vndè à [x] Polydoro dicitur hoc festum *Sabbatum Sabbatorum*, & *Solenne Septimorum*: sic enim loquitur; sicut inter dies, septimus quisq; festus agebatur Sabbatum: ita inter menses, septimus quisq; mensis sabbatum erat, & vocabantur ea sacra *sabbata sabbatorum*. Computatione autem revocatâ ad posteriorẽ, idem Tisri erat mensium primus: vnde quamvis cujusvis mensis calendæ sacris conventibus erant destinatæ, nullæ tamen pari honore cum Neomenia hac solebant celebrari. Nam præter convocationem ecclesiæ hoc die factam, ad gratias agẽdas de frugibus superiori anno perceptis, & ad deprecandas ejusdem anni offensas, tubis etiam clangebatur; quæ sola ratio est, quòd dicitur *festum Tubarum*, sive *dies Clangoris*, apud Philonem [y] *sacrum*

x *Polyd. de inventi. lib. 5 ca. 7.*

y *Philo in Decalogo.*

Novilunium in quo tubâ canitur. De ejus institutione sic præcepit Deus, *Levit.23. Primo die eius mensis esto vobis cessatio, memoriale clangentibus tubis; Convocatio Sancta: nullum opus servile facitote, sed offeretis igne absumenda Iehovæ*. De sacrificio hujus festi legitur, *Num.29.* sex primis versibus. Quæ autem causa, & ratio fuerit institutionis, difficile est dicere. Communis Hebræorum sententia est, hoc festum institutum esse in memoriam liberationis Isaaci, quandò aries cornibus suis inter fruteta hęrens pro Isaaco communi Iudæorum patre immolatus erat, vt habetur, *Gen.22:* & idcircò [z] *corneæ tubæ* clangore in festo Iudæos vsos esse aiunt. Alijs non verisimile videtur, propter vnius hominis liberationem festum publicum, & solenne; ab ipso Deo fuisse institutum; ideóq; autumant cum [a] Basilio hoc sonitu tubarum refricari memoriam ejus diei, quo tubis clangentibus Deus legem Mosi in Monte Sinai dedit; sed labascit hæc sententia, quoniam ex supra dictis patet, Pentecostes festum in memoriam legis latæ fuisse institutum. Probabiliùs igitur illi, qui putant Deum voluisse hunc diem clangoribus istiusmodi & tam solenni sacrificio celebrari; non quoniam erat *istius mensis*, sed *totius anni civilis* initium: [b] vnde volunt hoc festum esse *Memoriale, & monimentum clangoris*, vel si magis placet, anni novi quandam *Promulgationem*, & quasi προκηρυκὴν trium reliquorum festorum, quæ hoc ipsô mense celebrari solebant.

[z] Hospinian. de Orig. festor. Iudaic. cap.7.

[a] Basil. in illum locum Psal. 80. Buccinate in Neomeniam, &c.

[b] Vid. Hospin. loco superius allegat.

Cap.

Cap. 8.

De Festo Expiationis.

DEcimo die mensis Tisri oportuit summum sacerdotem sua & populi peccata Deo confiteri, & ceremonijs quibusdam adhibitis ea expiare: vnde festum *expiationis* dici consuevit: item *Dies Iejunij*, ob *ieiunium* quo tunc temporis animas suas affligebant. In hoc festo occurrunt expendenda, primò causa, 2°. Ceremoniæ. Duplici de causâ existimat Nicol: de Lyra hanc celebritatem fuisse institutam: primò in memoriam expiationis, & veniæ de vitulo adorato per Mosem impetratæ, & illo die populo renunciatæ. 2°. in expiationem communem pro toto populo, & pro ipso sacerdote. Quod ad Ceremonias spectat, primò, quod huic festo singulare erat, tunc summus sacerdos ingrediebatur *Sancta Sanctorũ*, & omnia in hoc sacrificio solus obibat: imò lege cautũ erat, vt nullus hominũ, ne inferiores sacerdotes in hoc negotio se cõjungerent summo sacerdoti. *Nullus hominũ*, inquit Dominus, *sit in tabernaculo quãdo pontifex sanctuariũ ingreditur*. *Lev*: 16. 17. Secũdò accipiebat Pontifex, sacrificaturus pro se ipso & familiâ suâ, juvencũ subrumũ in peccatum, & arietem vnũ in holocaustum; indutus sacerdotali amictu, & jam benè lotus in *labro*, accipiebat pro populo duos hircos in peccatum, & arietem vnum in holocaustum: sistebat duos hircos coram Domino ad portam tabernaculi, & viâ sortitionis Deum consulebat, vtrum illorum si-

bi reservari, & vtrum dimitti in desertum, cum populi peccatis voluit. Hircus dimittendus dicebatur * *emissarius*, quoniam altero mactato, ille vivus & liber *dimittebatur* in regionem solitariam. 3° Pontifex juvenci & hirci mactati sanguinem cum thuribulo accipiebat, & intra velum ingrediebatur in Sancta Sanctorum, ibiq; igni sacro adhibito suffitum faciebat, vt nebula incensi thymiamatis obtegeret *propitiatorium*; & primùm sanguine juvenci, deinde hirci, partẽ anteriorem *propitiatorij*, & ipsius sanctuarij partem aliquam interiorem septiès aspergebat digito. His ita peractis, egrediebatur rursus extra velum, sanguinem super altare aureum reponens: quo facto, ad holocaustorum altare accedebat, ibiq; nitens manibus suis ambabus super caput *hirci emissarij*, vniversæ Ecclesiæ nomine peccata confitebatur, & in caput illius ea omnia, quasi deponebat: quâ precatione finitâ, hircus tradebatur cuidam viro ad id destinato in desertum abducendus, vt esset pro omnibus vniversæ Ecclesiæ peccatis communis expiatio. Grecus interpres non malè, pro hirci hujus Hebræo nomine ἀποπομπαῖον posuit, quâ voce Græci vocant *mali depulsorem*. Hinc, & Deos suos tutelares quos ad depellenda mala invocârunt, δαίμονας ἀποπομπαίους, & ἀλεξικάκους appellârunt. Tandem ad ipsa holocausta accingebat se Pontifex, & ne illotis hæc tractaret manibus, exuebat se vestibus, quas lotâ carne iterum induebat, & holocaustum suum, pariter & populi exhibiturus, i. arietes duos ad expiationem vtrorumq; adipem cujusq; victimæ pro peccatis in ipso altari adolebat. Præterea, mittebat juvencum & hircum priorem in locum

*The scape-goate.

locum sacrum extra castra.i.in locum mundum, vbi cineres effundi debebant,vt ibi igni absumerentur:& hoc patet *Levit.4.12.* Sacrificia alia,quæ offerebantur hoc die præter expiatorium,describuntur, *Num. 29.cap.8.9.10.& 11.versibus.*

Typica huius expiationis ad veritatem anagoge.

In hac anniversaria festivitate, præcipuè attendebatur vniversalis totius ecclesiæ expiatio, & eiū Deo reconciliatio; quarum neutra fieri potuit ex virtute sanguinis hircini,aut arietini,nisi locutione sacramētali: quare hisce [c] carnalibus ritibus immorandum nō est,sed eruenda mysteria illa recondita, quæ per vmbratiles illas ceremonias populo Judaico adumbrari solebant. De mysterijs his dicemus eodem plane ordine,quo ceremonias ipsas præcedenti capite tractavimus.1°.[d] Christus Pontifex noster,in negotio humanæ redemptionis,solus peragit omnia, causam aliam contingenter, & pro arbitrio conjunctam non habet,multò minùs necessariò, & essentialiter sociatam:non vtitur ministerio Angelorum, non Prophetarum,non Apostolorum.*Torcular calcavit solus. Isaiæ,63.3.Solus*, inquit [e] Hieronymus, nullumq; habuit adjutorem;neq; enim Angelus, aut Archangelus,throni,dominationes, aut vlla cœlestium potestatum humanum corpus assumpsit, & conculcavit adversarias fortitudines,atq; contriuit. 2°. Christus Sacerdotali amictu indutus .i. immediatè ordinatus à patre,& vnctus spiritu sancto ad hoc officium, accepit pro populo duos hircos.i.[f] duas naturas; cum enim

c *Heb.9.10.*

d *Act.4.12.*

e *Hieronym. in Isaiam 63. cap. 3.vers.*

f *Theodoretus quæst.22.in Levit.*

enim per vnum hircum adumbrari commodè non posset tam mortalitas, quàm immortalitas Christi (nam hircus mortalis est solùm) necessariò duo mandati erant, vt ille qui mactaretur, carnis passibilem naturam præfiguraret; qui verò dimitteretur, deitatis significaret impassibilitatem. Sciendum autem, quòd vbi dicitur, Pontificem legalem seipsum abluisse, & accepisse juvencum subrumum in peccatum, & arietem vnum in holocaustum, pro seipso & familia sua; hoc non quadrat in Christum, quia non erat, vt ille, peccatis obnoxius, sed ἀναμάρτητος, & ἄμωμος, *sine peccato, & inculpatus*. 3° Christus *in* [h] *perfectiori tabernaculo ad sanctuarium cœlorum ingressus est*, & nos aspergens in hac vita virtute sanguinis sui, reconciliavit Deo & patri [i] *omnia, tum quæ in cœlis, tum quæ in terris*. Nebula illa incensa thymiamatis, significat magnam illam vim precum, quas Christus pro nobis coram patre effundit. 4° peccata nostra in Christum deonerantur, ille verè ἀποπομπαῖος est, [k] *factus est peccatum pro nobis*, & [l] *nos in ipso facti sumus holocaustum Deo acceptum & rationale*. 5° [m] *Christus passus est extra portam*.

g Heb. 9. 14.
h Heb. 9. 12.
i Eph. 1. 10.
k 2. Cor. 5. 21.
l Rom. 12. 1.
m Heb. 13. 12.

CAP. 9.

De Scenopegia, seu festo Tabernaculorum.

Scenopegia vnum erat è celeberrimis Iudæorum festis, sic dictum à σκηνὴ, *tabernaculum* seu tentorium, & πήγνυω compingo: quoniam toto tempore hujus festi habitandum erat sub tugurijs, & tabernaculis ex ramis arborum contextis: nec est legen-

gendum *Scenophagia*, à φάγω comedo, quia *comedebant* in tabernaculis, cui etymologiæ [n] Iansenius innuit aliquos fauisse. Celebrandum autẽ erat septem continuis diebus, nempe inclusiuè à decimo quinto mensis Tisri vsq; ad vicesimum primum; sic tamen vt primus dies præ cæteris esset sanctus & festiuus. Describitur *Leuit.23. Num.29. & Deut.26.* [o] & Plutarcho hâc in re si qua fides diem qui festum antecedebat, *Tabernacularia* appellabant, quemadmodum & decimum quintum diem appellârunt nonnulli *diem palmarum*, ob collectionem ramorum, quos more ouantium & validè gaudentium gestabant. [p] Theophylactus ait Iudæos hoc festum celebrâsse in gratiarum actionem, propter fruges tunc temporis conuectas, vnde, inquit, Psalmos quosdam Dauid, qui inscripti sunt *pro torcularibus*, quidam compositos esse dicunt in hoc festum; nam tunc *torcularia* sua implebant, & vnà premebant, proptereáq; agebant gratias. Quam sententiam non ausim reijcere, quamvis illius nullam prorsus mentionem video apud alios authores. Sic enim dicitur *Leuit.23.39. A quinta decima die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini, septem diebus*: quibus verbis Dominus mihi videtur non obscurè gratias à Iudæis exposcere, ob fructus terræ jam congregatos, & *collectos*; quę sola causa est, vt hæc solennitas vocaretur *festum Collectarum*, quia ex area, & torculari tunc temporis Iudæi *colligebant*, *Deut.16.13.* Fateor interim præcipuam causam eam esse, quæ communi omnium interpretum consensu traditur, nimirum, vt hoc annuo ritu in memoriam reuoca-

[n] *Iansen. Concord. cap.73.*

[o] *Plutarch. sympos. lib.4. quæst.5.*

[p] *Theophylac. in Ioan. cap.7.*

runt Iudæi, patres suos annis quadraginta sine certa sede sub tabernaculis vixisse, cùm domibus carerent: idq; apertis verbis indicat scriptura, *Leuit. 23. 43. vt cognoscant generationes vestræ me fecisse, vt in tabernaculis habitarent filij Israëlis, cum educerem eos è terra Ægypti.* His verbis videtur mihi Dominus postulare, vt memoria illius gratiæ Israëlitis non excideret, quâ patres in deserto dignatus fuerat, cùm omnibus cœli iniurijs expositos sub alis suis tanquam aquila pullos foueret. Sacrificia hujus festi in dies singulos describuntur, *Numb. 29.* à decimo tertio versu ad trigesimum quartum, quorum eadem prorsus est ratio per singulos dies, nisi quòd die primo huius festi vituli tredecim erant offerendi, die altero duodecim, die tertio vndecim, die quarto decem, & ita deinceps, per singulos vnum vitulum de numero præcedentis diei detrahendo: cujus diminutionis causam comminiscuntur Iudæi eiusmodi fuisse. [q] Erat, inquiunt, vitulorum omnium numerus, qui toto festo offerebantur septuaginta, juxta linguas gentium septuaginta, pro quibus secundum Iudæos offerebantur: significando earum subinde diminutiones, donec sub regem Messiam, qui est expectatio, & salus gentium, omnia redigantur. Propiùs ad rem [r] Franciscus Junius, qui putat per ceremonialem hanc obseruationem Deum ostendere voluisse gratiam suam de die in diem cum ecclesia communicari, minui veterem hominem, nouum augeri. Notandum autem, quòd omnia festa hoc mense Tisri celebrata, impropriè, & communi nomine dici consueuerunt *festa tabernaculorum*, quo sensu intelligendus est [s] Theophylactus, cùm

[q] *Vid.* Hosp. *de orig. huius festi.*

[r] *Franciscus Iunius analyt. explicati. Num.* 22.

[s] *Theophylact. loco modò allegat.*

cùm locutus de anniversarijs festis Iudæorum, ea tria esse asserit, *Pascha, Pentecosten, & Scenopegiam*, quibus tribus festis recurrentibus, virilis sexus omnes, ex omnibus Judææ finibus, ad oppidum Silo, quamdiu illic erat sedes tabernaculi, post extructionem templi in vrbem Hierusalem conuenerunt. [t] Per hæc festa Scenopegiæ, quando apud sanctam vrbem conueniretur, pontifex è sublimi suggesto, vnde à tota multitudine exaudiri posset, legem Mosaïcam pro concione legebat. Hìc in vltimo loco expendenda est discrepantia, inter tria festa, quæ omnia possunt appellari *Collecta*. Primò *Collecta* nomen non malè competit festo Paschatis, eò quòd tunc primùm segetes solebant *Colligi*; nam apertis verbis indicat [u] Josephus, falcem secundo Azymorum die in segetes primùm esse missam, & ita manipulum spicarum pro primitijs Domino offerri, quo facto, publicè messis faciendæ potestas dabatur. Secundò nomen *Collecta* competit huic festo Tabernaculorũ, vt suprà dictum est; non autem ob segetes *collectas*, sed ob fructus arborum *collectos*. Tertiò competit festo *Concionis*, de quo agitur cap. sequenti, ob nummos scilicet in pios vsus *collectos*. Vnde festum Azymorum potest dici *collecta segetum*; festum Tabernaculorum *collecta fructuum*, & festum Concionis *collecta nummorum*.

t *Ioseph. antiq. lib. 4. cap. 8.*

u *Ioseph. antiq. lib. 3 cap. 10.*

CAP. 10.

Festum Concionis, seu celebritatis magnæ:

IMmediatè post festum Tabernaculorum, nimirum vigesimo secundo mensis Tisri, sequebatur celeberrima solennitas, quæ *Ioan 7.37.* dicebatur *Magnus dies festivitatis*:[x] Hebrei illam appellant עצרת *Atsereth*, cujus radix teste Rabbi Kimhi est עצר *atsar*, quæ dictio significat *colligere*: vnde ob pecuniam tunc temporis *collectam* pro sacrificijs, & expensis templi, hoc festum, vt modò dictum est, dicebatur *Collecta*. At verò quoniam verbum Hebræum significat etiam *Prohibere*, & *Retardare*; ideo volunt non pauci hoc festum *Retentionem*, & *Prohibitionem* dici: cujus appellationis variæ assignantur causæ. 1ª: Quia interdicebatur populo, nè in illo die fieret opus servile, sic Rabbi David Kimhi. 2ª: quia translactis septem diebus solennitatis, adhuc populus vno die *retinebatur*: sic[y] Iansenius. 3ª: quia populus ad contributionem pecuniæ in vsus pios hoc die *retinebatur*. De hujus diei sacrificijs legitur, *Num.29.vers.36.37.38.*

x *Num.* 29.35.

y *Iansen. concor. cap.*75.

CAP. 11.

De anno quinquagesimo Iubilæo dicto.

QVinquagesimus quisq; annus sabbatarius fuit, eò quòd præceperat Dominus annum à septimo septiès recurrentē, solennem & celebrē haberi, *Levit.25.8.* & in sequentibus: quo loco hæc

sancit

sancit Dominus, vt terra à cultura & satione vacaret, & creditoribus omnis potestas nomina exigendi demeretur, vt serui & addicti, libertate donati vocarentur ad pileum, & siquæ ædes oppignoratæ, aut agrorum fundi quovis modo alienati essent, ad priorem dominum redirent. Huc scil: spectabat præceptum de hoc festo, vt quinquagesimo quoq; anno totus populi status in personis, in ædibus, & agrorum fundis renovaretur. Priusquam de nominis ratione agatur, præmittenda sunt nonnulla de multiplici vsu hujus legis. Primò hîc consulitur indigētijs pauperū; vt si quando ob rei familiaris angustias fundos aut domos oppignorare aut vendere cogerētur, reliqua tamen ijs esset spes, vt denuò in eas iterum admitterentur nimirū redeunte hoc anno: 2°. hâc possessionū distinctione vnoquoq; anno quinquagesimo, tribuū confusio cavebatur, vt dubitari nō posset ex quâ tribu vnusquisq; ortum duxerat, quæ si confunderentur, nemini constaret de quâ familiâ nasceretur; imò ecclesia Christianorum jam dubitare poterat de ortu Christi, an scil: è tribu Iudâ nasceretur; quarè hâc lege videmus Dominum prospexisse ecclesiæ Christianorum. 3° hinc certa supputatio annorum instituebatur, cujus necessitatem nemo mediocriter versatus in lectione historiarum nescit: nam quemadmodum Græci per *Olympiadas*, Romani per *lustra*: sic Judæi per *Iubilaeos*, tempora numerârunt. Iubilæum primum autumaant non pauci fuisse illum annum, quo Judæi subegerunt, & jam partâ victoriæ palmâ, terram sanctam occupârunt. Hospinianus asserit vltimum Jubilæum fuisse tempore mortis Christi. Vltimò

mò mysticè adumbrabatur magnus ille Jubilęus, quē sanciturus & edicturus erat Christus, non arietinâ tubâ aut cornu, sed tubarum Evāgelicarum clangore. *Dominus Deus in tuba canet, Zach. 9.* & remittet nobis debita nostra.i.peccata, nosq; ob peccata meritò exhæredatos, & è cœlesti regno ejectos, iterum civitate donabit, & inscribet hæredes primæ ceræ, id est, in primo gradu, & cohæredes cum Christo: Nec mihi improbabile videtur, quòd septuaginta ad hanc spiritualem remissionem respexerunt, cùm vocem *Iobel*, transtulerunt per ἄφεσιν: sic videmus Christi Iubilæum per omnia Mosaïco respondere: Reliquū est, vt nominis etymologiā, quàm fieri potest paucissimis expendamus, de qua nondum convenit apud authores. Existimat [z] Bellarminus vocem hanc *Iubilæum* fluxisse ab Hebræo verbo יבל *Iabal*, quod significat germinare & producere, vnde, inquit, est nomē יבל *Iebul*, quo fruges & fructus omnes significari solent: ita vt Iubilæus dicatur, quasi annus germinans, vtilis & fructuosus. [a] Marbachius nomen hoc priscum & antiquum esse ait, deduci autem à primo musicorū instrumentorum inventore *Iubal* appellato, de quo Moses in *Gen. cap. 4. Adam genuit Iubal, qui pater fuit canentium citharâ & organo*; nomen autem hoc significare autumat voces quasq; canoras, & grandes, rusticas, duras, agrestes, & quasi vlulantes, quales inchoata illa, sed non perfecta primi artificis instrumēta edebant, & quales tubarum & buccinarum clangores sunt: vbi concludit non ab ipsa tuba, sed à rauco, & vlulanti tubę sonitu annum hunc dici *Iubilæum*. Probabiliùs R. David Kimhi & detortè minùs, qui do-

z *Lib. 1. de Indul. cap. 1.*

a *Marbach. in Leuit. 25.*

cet

cet annum hunc dici Iubileum sive Jobileum ab ipsis tubis arietinis, quæ dicuntur Hebræis *Iobelim*. Moris enim erat, vt istiusmodi tubarum sonitu hujus anni promulgatio fieret *Levit.25.9.* vnde Aquila optimè vertebat *Iobel*, κεράτινον arietinum cornu; quare antiquitati ne videar barbam vellere voluisse, & cornicum oculos configere, nisi iustior aliqua causa producatur in medium quàm adhuc productam video, nolo ego resilire ab autoribus priscis, & adhærere neotericis, quamvis ex [b] neotericis nō minima pars favet huic sententiæ.

[b] *Nicolaus de Lyra Levit. 25. Car. Sigonius de rep. Heb. Fr. Iun. in Lev. 25. Hospin. de orig. fest. Iud.*

Adnotatio de Iubilao papistico.

Ingeniosa res est quæstura, & vbicunq; aliqua spes lucri affulserit, ibi miserè se torquet humana mens in excogitandis vafris imposturis, quibus populus pecuniâ emungatur; ejusdem lucri odore ex pontificibus Romanis plurimi olim affecti, anxiè se cruciârunt in instituendis novis subinde aucupiis, ad inescandum populum, & rem suam augendam. Vt reliqua missa faciamus, hæc ipsa, quam confinxerunt de Jubilæo fabula, avaritiam illorum abundè prodet. Quærendum igitur imprimis quid sit Jubilæus Romanus: 2°. qui ejus authores. Annus Jubilæus apud Romanos cum primùm institueretur, erat centesimus quisq; annus, in quo indulgentiæ omnibus adeuntibus Apostolorum Basilicas more veteri (vt vult [c] Bellarminus)concedebatur. Hinc liquet, non magnā intercedere affinitatem inter Leviticū & Pontificium Jubilæum: 1° quòd Judęi quinquagesimo quo-

[c] *De Indul. l. 1. c. 2.*

que

que anno illud solenne repeterent; Romani autem cẽtesimo. 2° Iudæis corporum assertio curæ erat; Romanis autem animorum, vt aiunt. Ne excresceret hęc adnotatio in molem libelli, non ausim valdè immorari hujus anni superstitionibus. Vt tamen summa rerum vestigia sequar, brevitèr quatuor perstringam causas, quibus expensis, nemo sanus fidem dederit istiusmodi fabulæ. Primò, viderit lector, quanta insania est, proram & puppim salutis, in diplomate chartaceo collocare. Secundò perpendat pugnantes Papistarum de Indulgentijs opiniones. Tertiò astutam avaritiam ipsius Pontificis. Quartò hujus figmenti novitatem. Risu & sannis, sat scio, Papistæ ipsi accipiunt morem istum Muscovitarum, quibus religio est quando moriatur homo, antequã efferatur corpus, cadaver induere novis calceis; memores scil: longitudinis viæ, quam homo mortuus ingressurus est, & in manus ejus inserunt epistolam quandam, in qua Divum Nicolaum oratum volunt, vt illius ope facilior ingressus in cœlos defuncto pateat. Non absimilis est ipsorum Papistarum dementia, qui faciliorem aditum in cœlum se reperturos confidunt, si indulgentijs, diplomatis, Bullis, & confessionalibus muniti veniant: Horum hominũ insaniam subridens Erasmus, quærit an non sit periculum de reditu ad novas Bullas impetrandas, si fortè homo incideret in Genium aliquem, qui latinè nesciret? Sed meliùs patebit, quàm infirmo argumento hoc delirium nititur, si Pontificios ipsos de indulgentijs scribentes inter se committamus, qui ita dissentiunt, vt nemo est, qui in hâc re quid dicat, cui non contradicatur ab alio.[d] Nonnulli statuunt,

[d] Vid. Thom. Aquin. suppl. quest. 27, art. 1.

statuunt, indulgentias prodesse hominibus existentibus in *mortali peccato* ad impetrandam gratiam, licet non ad avertendam pœnam: [e] Thomas è contrà, sentit eos ad neutram valere, nisi in verè contritis & confessis. [f] Costerus asserit *culpas* peccatorum non remitti indulgentijs, sed *pœnas temporales*. [g] Polydorus Virg: definit indulgentiam esse remissionem tam *culpæ* quàm *pœnæ*. [h] Aliqui verentur appellare passiones sanctorum *satisfactiones* pro pœnis, nè hâc ratione facerent sanctos *redemptores* nostros ex parte; sed putant passiones istas valere ad mouendum Deum, vt nobis Christi satisfactionem applicet: sed hæc opinio reprobata est à Pio Quinto, à Gregorio decimo tertio, à Clemente sexto, & à Concilio Tridentino, *Sess.14.cap.8.Can.13.14.* & Bellarminus ipse concludit sanctos esse *quodam modo redemptores* nostros, cùm tamen trita & recepta illa distinctio de mediatore *intercessionis*, & mediatore *redemptionis* occlamitet, Dominum nostrum Iesum Christum in negotio *redemptionis* nullum habere socium, non *quouis modo*. Sunt, testante [i] Bellarmino, qui istam distinctionem indulgentiarum à Bonifacio octauo inuentam, ita interpretantur, vt *plena* indulgentia referatur ad solam pœnam peccatis *mortalibus* debitam; *plenior* addat remissionem pœnæ debitæ peccatis venialibus; *plenissima* adiungat absolutionem, non solùm à *pœnâ*, sed etiam à *culpâ*. Bellarminus, cui parùm solida videtur illa distinctio, aliam nec minùs ridiculam, licèt valdè dissonam priori, assuit interpretationem: intelligi vult per plenam indulgentiam, remissionem totius pœnitentiæ iniunctæ; per pleniorem, remissionem

e *Thom. Aquin. ibid.*

f *Coster. Enchirid. cap. de indul.*

g *Polydor. de inuent. li.8.c.1.*

h *Vid. Bellarm. de indulgent. lib.1. cap.4.*

i *Bellar. de indulg. li.1. cap.9.*

totius pœnitentiæ, quæ secundum canones iniungi debuisset; per plenissimam, remissionem totius pœnitentiæ, quæ à diuino judicio exigi posset. Quasi verò papalis clauis potuisset etiam reserare fores inferni, & liberare spiritus [k] *reseruatos iudicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine*. Iam auaritia Pontificum, quæ sola causa erat indulgentiarum, & ipsius Iubilæi, fiet conspicua ex papisticis scriptoribus, qui horum vitas literis mandârunt. Alia atq; alia erat indulgentiarum, & Jubilæorum origo. Illas [l] Gregorius Magnus invenit, & hoc præmij proposuit suas stationes inuisentibus: & post Gregorium, veniarum seges paulatim creuit, [m] cuius messem non exiguam permulti interdum demessuerunt: sed cùm semel Bonifacius octauus Jubilęos inuexisset in ecclesiam (nam ille primus omnium inuexit) anno humanæ salutis 1300. tunc non *parcâ*, sed *plenâ* manu, non *vulgares*, sed *plenariæ* indulgentiæ, omnibus limina apostolorum visitantibus pœnè dixeram gratis expromebantur. Sed reverà Jubilæus nihil aliud erat, quàm publica mercatura indulgentiarum, ad emulgendos Christianos institutus: quæ sola ratio erat, quòd Clemens sextus [n] ad quinquagesimum quemq; annum illum reduxit, & post eum Vrbanus sextus contraxit ad annum trigesimum tertium, maximum inde sperans lucrum: at promulgato Iubilæo, ille ipse mortē obijt: vnde facetè [o] Theodoricus, *Ipse Vrbanus, ex terra, quam indicendo Iubilæum seminauerat, fructus recolligere non poterat, sed alter collegit*: & reuerà alter messem comportauerat: nam, vt habet idem Theodoricus, frequens hominum multitudo confluxit tunc tempo-

k Epist. Iudæ. vers. 6.

l Polyd. de invent. l. 8. cap. 1.

m Polyd. loco alleg.

n Platina in Clement. 6.

o Theodoricus à Niem. de Schism. lib. 1. cap. 68.

temporis ad Romam, vt offertoria, quæ ecclesijs, & Basilicis per visitatores data fuerunt, in grandem summam excrescerent, ex quibus aliquæ reparationes ecclesiarum factæ fuerunt: sed residuum & maior pars, ad manus Bonifacij noni, qui Vrbano successit, deuenit. Ipse etiam Bonifacius huiusmodi offertorijs non contentus, [p] *Ad diuersa regna misit quæstuarios, vendendo dictam indulgentiam offerentibus tantū, quantum essent expensuri in via, si propterea iuissent in vrbem; omnia peccata etiam sine pœnitentia ipsis confitentibus relaxârunt, super quibuslibet irregularitatibus dispensârunt interuentu pecuniæ.* [q] Indulgentiæ plenæ velut quæpiam merces quotidiè & passim vendebantur; [r] vt jam planè vilesceret clauium & apostolicarum literarum authoritas. Et certè vilesceret hodiè etiam, nec tanti fieret à plebe papisticâ, si vel hoc vnum illis in mentem veniret, quale monstrum hominum Bonifacius octavus erat, qui fœtum hunc monstrosum primus peperit. [s] Ad pontificatum non sine ambitionis crimine pervenit; [t] Simoniacus, homicida, & vsurarius erat; docuit animam esse mortalem; duas habuit neptes concubinas, & ex vtrisq; filios progenuit. Tinnirent hominum aures, si audirent, quos ludos fecerat de religione; [u] subornabat homines qui nocte clanculum, quasi voce cœlitùs demissa Cœlestinum admonerent papatum resignare: quo resignante, Bonifacius hic in ejus loco collocabatur: non multò pòst accessit ad sanctissimum hunc Patrē Prochetus Spinola, petiturus confirmationē in Archiepiscopatu Genuensi, nempe die illo, * quo frontes cinere signantur, [x] cui provoluto ad pedes ejus,

p *Theodoric. ibidem.*

q *Polyd. de inuent. lib. 8. cap. 1*

r *Platina in Bonif. 9.*

s *Platina in Bonifac. 8.*

t *Kyrantzius in Saxon. lib. 8. cap. 37. vid. Philip. Mornay: myster: iniquit.*

u *Platina in Bonifac. 8.*

* *Diem hunc appellant Cineralia. Anglicè* Ashwednesday.

x *Platina in Bon. 8.*

cum dici à sacerdote soleat: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris*, dixit Bonifacius mutatis quibusdam verbis: *Memẽto homo quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cineres reverteris*, in ejusq; oculos cineres conjecit. Tam impia demum erat hujus hominis tota vita, vt post mortem proverbio dederit locũ, y Bonifacius intravit pontificatum vt *vulpes*, vixit vt *leo*, mortuus est vt *canis*.

y *Ranulphus in Polychronico lib 7 cap.39 Vid. Philip. Mornay. myst. iniquit.*

CAP. 12.

De Encæniis.

SEquuntur jam festi dies explicandi, qui non jure divino, sed ex humano instituto agebantur. *Encænia* autem, est nomen plurale, significans instaurationem, renovationem, seu dedicationem, à Græco verbo ἐγκαινίζω, *consecro*, & *dedico*: quanquam inter hæc duo, qui accuratè loquuntur, discriminis aliquod ponunt. Res dicuntur *consecrari*, cùm ex profanis religiosæ ac sacræ fiant: *dedicari* autem, quando Deo aut ex sanctis alicui dedicantur. Sed vsurpatur hæc vox ad significandum, non solùm primas rerum dedicationes, quæ semel tantùm celebrantur: sed solennitates anniversarias, & memoriam primæ dedicationis quotannis repetitam: vnde z Petrus Martyr optimè vertit græcam vocem per *Renovalia*, seu dies *Renovales*, nimirum dies festos quibus semper recurrentibus, templi, aut rei alterius dedicatæ memoria *renovatur*, & refricatur: *Rei alterius*, inquam, nam Judæi extenderunt consecrationem (vt sacra historia pro-

z *Pet. Mart. in 1. Reg. 8.*

prodit) ad Sacerdotes, altaria, vasa, vestes, & id genus alia.

Tres autem erant templi Hierosolymitani *dedicationes*, diversis anni temporibus observatæ. Prima fuit Solomonis, mense septimo, de qua *1. Reg. 8. 63. Dedicabunt domum Iehovæ Rex & omnes filij Israëlis*. Secunda fuit templi reædificati à Zorobabele, post captivitatem Babylonicam, mẽsis duodecimi tertio die, *Ezra. 6. 15. Finitâ domo istâ, ad diẽ tertiam mensis Adar celebrârunt dedicationem domus Dei cum gaudio*: Et hinc deprehenditur mendosus locus apud [a] Iosephũ, qui tradit hanc solennitatem factam vigesimo tertio mẽsis vndecimi; vbi dupliciter impingit: primò, quoniam docet mensem vndecimum appellari ab Hebræis Adar, cùm tamen indubitata res sit *Hest. 3.* Adar fuisse apud Hebræos mensem duodecimum. 2° dedicationem reijcit ille in vigesimum tertium diem, quam tamen tertio die factam fuisse constat ex loco allegato. Colligi non potest ex sacra pagina, istas duas dedicationes anniversarijs solennitatibus fuisse repetitas, sed semel factæ desierunt. Tertia dedicatio, cujus solius celebritas facta est anniversaria, nõ *Templi*, sed *altaris* fuit; cùm Judas Maccabæus altare holocausti ab Antiocho Epiphane profanatum auferret, novumq; erigeret, & dedicaret vicesimo quinto die mensis Casleu, qui partim Decembri respondet; & hæc annua solennitas per octo integros dies à prędicto vicesimo quinto cum lætitia & gaudio agebatur: de qua *vid. 1. Maccab. cap. 4. 2. Maccabæorum cap. 2. 8.* [b] Iosephus testatur suo tempore hoc festum appellatum *Festivitatem luminum*, non ob luminarium

a *Ioseph. antiq. lib. 11. cap. 4.*

b *Ioseph. antiq. lib. 12. cap. 11.*

copiam tunc temporis accensorum, sed quòd inspe-ratò Judæis tanta felicitas illuxerat. Quibus ritibus & ceremoniis hoc festum agi solebat, videre est *2. Maccab.10.* ex quo capite elicitur, magnam intercessisse similitudinem inter hoc festum & Scenopegiã: quæ similitudo in eo sita erat, tum quia octo diebus perdurabat; tum etiam quia sicut Scenopegia erat in memoriam tabernaculorum, quibus Patres vice domiciliorum in deserto vtebantur: ita & hoc festum agebatur, vt inde memores fierent temporis illius, quo exules à patria in montibus & speluncis habitârunt, & in eis festa sua celebrârunt: qua de causa, quãvis non habitabant in tabernaculis, sicut solebant in Scenopegia, hymnos tamen canentes in honorem Dei, circumferebant in signum lætitiæ Thyrsos, & ramos speciosos: quæ ceremonia gestandi ramos dedit locum [c] Plutarcho, vt appellaret hoc festum κλαδηφορίαν, & θυρσοφορίαν, nimirum à ramis gestandis.

[c] *Plut. Symposiac. lib. 4. qu. 5.*

Adnotatio de consecratione Papistica.

Quòd loca, quæ divino cultui deputantur debeant consecrari, id est, solenni gratiarum actione, & congruâ laude Deo exhibitâ celebrari, & additis precibus, quibus religiosus & sanctus vsus horum locorum postulatur, initiari, nemo est, qui ambigit. Interim Iudaïcis ritibus, aut magicis ceremonijs hanc dedicationem obire, quod hodiè Papistæ faciunt, nemo qui non litaverit Moriæ, non aversatur toto pectore. Omitto hîc ostendere, quomodò operam & oleũ perdunt in repetendis suis dedicationibus semel quotãnis;

nis; quamvis probare poteram, consecrationem sacerdotum non minùs necessariò repeti debere quotannis, quàm locorum dedicationē. Illam igitur cùm omittant, eodem jure poterant & alteram omittere. Ad ceremonias quod spectat, sic [d] Bellarminus: Primò pinguntur duodecim cruces, ita inter se distātes, vt totum templum occupent, ad significandum Christum. 2° ante singulas cruces singulæ lampades accenduntur, quibus docemur, duodecim apostolos hoc vexillum Christi per totū terrarum orbem portâsse, & suâ prædicatione mundum illustrâsse. 3° pulsatur templum & aperitur, quâ ceremoniâ jubetur diabolus recedere; & reliquiæ sanctorum introducūtur. 4° describitur in pavimento super cineres ad hoc sparsos baculo pastorali alphabetum grecum, ab vno angulo ad alium; & rursus alphabetum latinum, ab alio angulo ad alium, vt inde crux fiat: quia scil. illis linguis predicatur fides. 5° fit mixtura ex aqua, vino, sale, & cineribus, & inde aspergitur templum: quo ritu instruitur populus de vitæ novitate; nam aqua significat hominem qualis est ex se post peccatum; est enim frigidus & insipidus; cinis significat pœnitentiā; sal saporem; vinum lætitiam & fervorem novæ vitæ: tandem templum & ara chrismate inunguntur; nam oleum erat symbolum cōsecrationis. Has ceremonias, & ipsas earum significationes potest quispiā colligere ex Bellarmino loco allegato: sed nec illas, nec illarum significationes ex sacra scriptura, quamvis Bellar. in hoc totâ cervice laborat. Ex eo, inquit, quòd Paulus in priori epist. ad *Cor. cap. 11.* Corinthios arguit tanquam ecclesiæ contemptores, quia in ecclesia

[d] *Bellarmin. de cultu sanct. lib. 3. cap. 5.*

clesia comedebant, satis constat, tunc etiam ecclesiā aliquo modo sacratam fuisse. Quis non videt, quos veteranus ille hîc agit cuniculos, quæ fulgura ex vitro facit? Probat ille ecclesiam Corinthiorum fuisse sacratam, & quis hoc negavit? In hoc autem cardo quæstionis ponitur, vtrùm magicis decussibus & putidis superstitionibus more papistarum hæc consecratio peragebatur? De his autem ne verbum, οὐδὲ γρῦ, οὐδὲ μύ, vt est in proverbio. De his nō expressa extare testimonia in statu Evangelij fatetur ipse; quid ergo agendum? In statu legis, inquit, videmus Mosen consecrasse oleo sacro, alijsq; ceremonijs tabernaculum, altare, & omnia ejus vasa. *Exod. 40. Num. 7.* Iam rem acu tetigit, & acutiùs paulo [e] Gratianus *in principio distinctionis primæ de consecratione*, dum has ineptias in papisticis consecrationibus confirmare nititur. Iudæi, inquit, hæc faciebant, ergo Christianis multò magis ea facere licet. Sed omnium acutissimè [f] Durandus, qui tali vtitur argumento: Si illi, qui vmbræ legis deserviebant, hoc faciebant, quantò magis nos, quibus veritas patefacta est, hoc facere cōvenit. Digna profectò hujusmodi theologis ratio: cui apprimè convenit præterea interpretatio, quæ in ejusdē glossâ legitur: Si, inquit, id Gentiles faciebant, multo magis facere debemus nos. Triumviratus ille prior ex egenis Iudæorum elementis, at Glossator hic ex gētium fæcibus doctrinam superstiosam nobis propinat. Nos autem, quibus jam Sol justitiæ affulsit, vmbris & typis Iudaïcis, nedum superstitionibus Ethnicis nuncio misso, respondemus in *præceptis moralibus* rationem firmam esse: Iudæi sic faciebant, ergo multò

e *Grat. 1. dist. de consecr.*

f *Durandus in Rational. divinorum lib. 1. c. 6*

tò magis Christiani facere debent: sed in rebus *ceremonialibus* argumentum planè nullius ponderis esse.

Cap. 13.

De cæteris diebus festis.

MVlti alij dies festi instituebantur ab Hebræis, provt occasio tulit. Meum autem consilium est, hoc vno capitulo cętera festa omnia quasi in fasciculo aliquo lectori exhibere; moræ precium non ducens, prolixâ aliquâ oratione horum explicationem prosequi; præsertim, cùm nemo sit mediocriter versatus in lectione sacræ scripturæ, qui eorum rationem non plenè intelligit ex nuda illorum appellatione. Imprimìs ergo, in circulo cujusq; anni celebratus est *planctus filiæ Iephtæ* Iudicis Israël, quam pater ob victoriam partam ab Ammonitis Iehovæ voverat in perpetuum futuram Naziræam. Nam quod de ἀνθρωποθυσία hunc locum nonnulli interpretantur, quasi Iephta filiam suam vnicam immolâsset, durior est expositio, quàm g quæ fidei Iephtæ respondeat, g *Heb.*11.32. aut reverà, quàm verba ipsa ferent. Votum enim his verbis nuncupatur, *Iudic.*11.31. *Quodcunq; primum egreditur foribus domus meæ obviam mihi, quando revertar cum pace ab Ammonitis, erit, inquam, Iehovæ, aut offeram illud holocaustum:* id est, erit consecratum Iehovæ, aut si fuerit aptum ad sacrificium, fiet ex eo holocaustum. Porro victima istiusmodi nequaquam Deo fuisset grata: Deus enim prohibet illam lege, *Deut.*12.31. & primo-genitos mandavit redimi: & si

sacrificium Isaaci, quod imperaverat, recusavit, quãtò minus votivum esset accepturus? quomodo igitur dicitur, quòd filię Israëlitarum hâc de re communem planctum quatuor diebus in circulo anni celebrabant? Respondent [h] planctum hunc fuisse in memoriam filiæ Iephtæ, quæ parata erat patri obedire vsq; ad mortẽ corporalem, & obedivit vsq; ad mortẽ civilẽ & spiritualẽ: sic enim vocat N. de Lyra, virginitatem illam perpetuam in qua jam victura erat; & nonne iusta plangẽdi causa data erat, cùm *Iudicis ipsius*, alios liberos *non habentis, vnica filia* Nazirææ facienda esset, ita vt omnis spes sobolis habendæ præcideretur?

[h] *Nicol. de Lyra in Iudic. cap.* 11. *Perkinson. in Heb.* 11.32.

Abijt etiam in consuetudinem apud Hebræos, diem illum, quo Judith Holofernem occidit, & populum ab obsidione liberavit, inter festos & sacros numerare. Insigne beneficium acceperunt Judæi tempore Assueri regis: cùm enim calumnię Aman eò valuerunt apud regem, vt jam Judæi ad vnum omnes cruci adjudicati essent, & prorsus conclamatæ viderentur spei, Mardochei patrui reginæ Hester, ejusdemq; Hester opere, cõsilio, & intercessione factum erat, vt ex tãti discriminis faucibus divinitùs eriperetur populus Hebræorum, toto malo in adversariorũ capita recidente: de hoc festo legitur *Hest. cap. 9.* Pridie festi Mardochei aliud festum agebatur in memoriam, & gratiarum actionem pro quadam victoria divinitùs concessa. *lib. 1. Maccab. cap. 7. & lib. 2. c. vlt.* vbi refertur victoria illa insignis, quam Judas Maccabæus de Nicanore duce Demetrij regis Syriæ peperit; hæc victoria contigit decimo tertio die mensis

sis Adar, eóq; die Judæi festivitatem per singulos annos renovabant, ob rei prosperè gestæ memoriam. Hujus meminit [i] Iosephus.

[i] *Ioseph. lib. 12. cap. 17.*

Ad hæc Judæorum festa, non incommodè etiam referri posse arbitror solennitatem, à Simone Asmonæo Judæ Maccabæi fratre, die 23 mensis secundi institutam. Is enim arcem Hierosolymitanam perpetuis hostium excursionibus vexatam potenti manu liberabat, & demum constituebat quotannis agitari illum diem cum lætitia & gaudio. *1. Mac. 13. 52.* His adtexunt nonnulli festum illud ignis, quem post exilium Babylonicum in densam aquam conversum invenerunt, *2. Maccab. 1. 20.*



LIB. 2. SECT. 2.

DE SACRIS RITIBVS.

CAP. I.

De variis generibus rituum Sacrorum.



E diebus sacris egimus in libro præcedenti: tractatus præsens de sacris ritibus instituitur: iiq; vel ejusmodi erant, qui spiritualem Israëlitarum in ecclesiã *insitionem*, & *in fœdus receptionem*, non signabant modò, sed etiam obsignabant; vel ejusmo-

di, qui *nutritioni spirituali*, vt ita dicam, inservíebant. Prioris generis erat *Circumcisio*, posterioris omnia *sacrificia*: per illam Iudæi inveuerant ingressum in arcam Ecclesiæ; horum tacitâ virtute, tanquàm cœlesti influentiâ, aut rore aliquo divinitus misso, illorum animæ irrigabantur, & indies quasi vegetiores fiebant. Sacrificium autem typicum, de quo impræsentiârum agitur, erat oblatio ceremonialis à Deo instituta, per sacerdotes sacrâ vnctione divinitùs ad hoc ornatos administranda: eratq; vel ἱλαστικὸν .i. propitiatorium, aliàs piaculare dictum: vel εὐχαριστικὸν, gratiarum actionis nomine, pro beneficijs Deo oblatum. Propitiatorium sacrificium erat, quo fideles testificabantur, tot bonis à Deo acceptis, se nil nisi sordes, crimina, & peccata rependere posse: quibus mortem meritissimo jure rependendam effuso animalium sanguine agnoscebant; & eodem subinde effundendo significabant, ab alio sanguine, agni nempe immaculati, & gratiam & vitam illis petendam. Vndè fit, vt sacrificium hoc Mosaïcum, non verè sed metonymicè & locutione sacramẽtali diceretur propitiatorium; quo sensu Circumcisio dicitur fœdus, quià erat signum fœderis; & agnus dicitur Pascha, id est, *transitus*, quia erat signum transitus. Sacrificio igitur expiatorio typico fideles peccata non expiabãt, sed magis ea confitebantur; juxta illud [k] Chrysostomi: κατηγορία ἁμαρτημάτων, οὐ λύσις ἁμαρτημάτων ἡ θυσία: κατηγορία ἀσθενείας, οὐκ ἰσχύος ἐπίδειξις. i. sacrificium peccatorum accusatio, non solutio: accusatio infirmitatis, nõ ostensio virtutis: Et hanc ob causam Paulus, *Coloss. 2. 14.* ritum sacrificiorum vocat chirographum contrarium

[k] *Chrysost. in Heb. Homil. 17.*

rium nobis.i.teſtantem,nos eſſe peccatores & mortis reos,niſi per ſanguinem Chriſti fieret redemptio. Propitiatorium ſacrificiũ autem duplex erat in Vet: Teſt. Διαλλακτικὸν ſive *Reconcilians*, quod proprio nomine à Græcis *Holocauſtum* dici obtinuit, idq; non ſolùm quia *tota* victima cremari, ſed etiam quia *univerſa* peccata expiari hoc ritu ſolebant: ἀπολυτρωτικὸν, ſive *redimens*, quo redimebantur certa quædam *peccata* aut *reatus*. Holocauſtum duplex erat. *Extraordinarium* & pro re natâ,hoc eſt, quod pro incidente vel publicâ populi,vel privatâ cujuſq; neceſſitate celebrabatur; ſic David iram divinam holocauſto exarmavit,cùm peſtis latè per ſuum populum ſerperet.*2. Sam.14.*Huc etiam pertinent ſacrificia initiationis,de quibus legere eſt,*Exod.29.Levit.8.Ordinarium*, idq; vel *iuge & perpetuum* erat, quod ſumptu publico oblatis duobus agnis quotidiè peragebatur: manè vnus, alter veſperi offerri ſolebat; vt ſe perpetuò populus in meditatione futuri ſacrificij exerceret: vel *ſtatum*, quod *ſtatis* & fixis diebus celebrabatur,vt eſſet acrior ſtimulus ad pœnitentiam; quale erat holocauſtum *Sabbatinum,menſtruum*,& *anniverſarium*,nimirum illud,quod ſingulis ſabbatis,novilunijs,& magnis feſtis recurrentibus præter juge ſacrificium peragebatur. Sacrificium *redimens*, vel *pro peccato*,vel *pro delicto* inſtituebatur: † *Sacrificium pro peccato*, erat ſacrificium redimens peccata errore aut ignorantiâ commiſſa, *Levit.4.2.* * *Sacrificium pro delicto*, redimebat delicta ex infirmitate,vocatur à [l] nonnullis *ſacrificium pro reatu*:niſi malimus cum [m] Auguſtino intelligere, per *peccatum*,malum aliquod perpetratum aut *commiſſũ*;

† A ſinne offering.

* A treſpaſſe offering.

[l] *Polan. ſyntag. tom.2. l.9.c.3.*

[m] *Auguſt.qu. 2? in.Levit.*

per *delictum* autem bonum *omissum*, ita vt *delictum* dicatur quasi *derelictum*; sed Augustinum hac in re relinquunt doctissimi interpretes. Vtrumq; vel *ordinarium* fuit, in novilunijs, festo Paschatis, & Pēecostes: vel *extraordinarium*, alio quovis tempore. De his singulis eo, quo proponuntur, ordine.

Sacrificium typicum Eucharisticum erat, quo ad sacrificium verè Eucharisticum .i. ad nouam obedientiam, atq; imprimis ad gratiarum actionem vetus populus exuscitabatur: nam externis illis sacrificijs, ad gratitudinem se assuefaciebant fideles, & ea velut indubitata suæ erga Deum pietatis signa offerebant. Tria autem erant sacrificiorum genera, quibus gratitudinem suam profitebantur in Vet: Testamento: *Hostia pacificorum, oblatio, & sacrificium laudis.*

CAP. 2.

De Circumcisione.

Circumcisio erat ritus ceremonialis, quo omnes mares in populo Israëlitico in preputio circũcidebãtur, vt obsignaretur ipsos fæderi à Deo cum Abrahamo & posteris suis inito insertos, ac proinde in populum Dei cooptatos esse. Seu erat amputatio preputij omnibus masculis populi Israëlitici, mandata à Deo, vt esset signum fæderis initi cum Abrahamo & eius posteris, significans & obsignans eis spiritualem cordium circumcisionem, propter nasciturum semen promissum; discernens eos à reliquis gentibus, & obligans eos ad fidem & obedientiam erga Deum. [n] *Hoc est fœdus meum inter me & vos,*

n Gen. 17. 10.

&

& inter semen tuum post te, quod seruabitis, circumcidetis omnem masculum. [o] *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, &c.* [p] *Circumcisionem verò accepit sigillum iustitiæ fidei, &c.* [q] *Iehouah circumcidet cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Circumcisionis fines igitur ex dictis constat huiusmodi fuisse: primò, vt esset signum fœderis mutui inter Deum & Abrahamum; nam quemadmodum cùm homines inter se quid pangant, instrumenta fiunt, & signa in confirmationem appenduntur, adeò vt si fortè quis resiliat à promisso, posset contra eum agi tabellis obsignatis: ita Dominus verbo suo circumcisionem apposuit loco sigilli, quo reddidit fideles securiores de promisso ex parte sua, & diligentiores ex illorum parte in præstanda debita obedientia. 2°, vt significaret homines immunditiem hæreditariam ex lumbis parentum hausisse. 3°, vt esset signum Messiæ nasciturí ex semine Abrahami, quo signo profitebantur Israëlitæ se in promissum illud semen credere. 4°, vt esset signum discretiuum, quo posteri Abrahami separarentur ab alijs gentibus. Etsi enim alij quidam populi, Ismaëlitæ, Idumæi, & Midianitæ, & post illos Ægyptij & Colchi imitatione quâdam circumcisione sunt vsi: his tamen circumcisio non fuit signum fœderis Dei, sed superstitionis propriæ, vt hodie est Turcis. Iam autem quia Messias exhibitus est in carne, & maceries diruta, vterq; populus, nempe Iudaïcus & Ethnicus coalescimus in vnam Ecclesiam Deo, cuius angularis lapis est Christus ipse; ideòq; non congruum modò, sed etiam necessarium est, vt antiquetur circumcisio,

[o] Gen.17.12.
[p] Rom.4.11.
[q] Deut.30.6.

& fœderis illius perpetui nouum institueretur signum. Circumcisione autem abolitâ, Baptismum in eius locum successisse probat Apostolus. [r] *In quo circumcisi estis circumcisione non manufactâ, dum corpus carnis peccatricis exuistis per circumcisionem Christi; consepulti cum eo per Baptismum: per quem etiam cum eo resurrexistis per fidem Dei efficacitèr agentis, qui excitauit eum ex mortuis: vosq́; mortuos in peccatis & præputio carnis vestræ cum eo viuificauit, condonatis vobis omnibus peccatis.* Hîc Apostolus duabus rationibus probat externæ circumcisionis, quam in carne gestabant, nullum esse vsum in ecclesia Christianorum. Primò, quia in Christo habemus circumcisionem ἀχειροποίητον, & spiritualem; non cultello, sed Dei ipsius digito; non in carne, sed in corde factam. Secundò, quia Baptismus nunc habet eandem significationem principalem, quam olìm circumcisio habuit. Baptismus enim nobis, est obsignatio gratiæ, tessera professionis, symbolum quoq; initiatorium, quo ingressus datur in ecclesiam externam. Quarè vt plenam & rectam intelligentiam vtriusque teneamus, moræ pretium erit vno intuitu videre, quomodò inter se conueniant, quomodò item differant hæc sacramenta. Conveniunt in finibus principalibus. Primò, quòd vtrumq; est obsignatio gratię Christi. Secundò, quòd vtrumque est signum obligatorium, quo stipulamur fidem & obedientiam erga Deum. Tertiò, quòd vtrumq; omni ætati, tam infantibus quàm adultis, est sacramentum insitionis suæ in ecclesiam. Differunt autem primò, ceremoniâ, & ritu: Circumcisio læsione corporis, & fusione sanguinis fiebat: Baptismus illæso corpore, asper-

r Colos. 2. 11.

aspersione aquæ peragitur. 2°, circumstantia sexus & temporis; illa ad omnes masculos, sed non ante octavum diem: hic ad omnes vtriusq; sexus statim à nativitate pertinet. 3°, illa respiciebat Messiam exhibendum: hic exhibitum. 4°, illa obligabat solos Abrahami posteros; hic quoscunq; ecclesię cives. 5° illa duratura erat vsq; ad exhibitionem Messiæ: hic vsq; ad finem mundi. 6° illa speciatim obligabat circumcisos ad observantiam totius legis ceremonialis, forensis, & moralis: hic nos tantùm obligat ad legem moralem, i. ad fidem & obedientiam Evangelii. 7° circumcisioni annectebatur promissio de beneficio corporali, scilicet de certa ecclesia colligenda & servanda in terra Chanaan, vsq; ad adventũ Christi: Baptismus in specie nullam habet de beneficio corporali promissionem.

CAP. 3.

De ritu oblationis in holocausto, seu sacrificio, quod vocant διαλλακτικὸν, unà cum analogia inter typum & antitypum.

HOlocaustũ constabat ex animalibus aliquando majoribus, aliquãdo minorib⁹, prout cujusque sacrificãtis facultates ferrẽt: Opulenti ex *jumẽtis*, mediocres *de grege*, inopes ex *volatilibus* offerebãt. Mactatio alia atq; alia erat; quotiescũq; de jumẽtis oblatio fieret, oportebat bovẽ masculũ accipi, nõ fœminam; ad notandum virile robur in Christo, quo vicit peccatum, mortem, & Satanam: nec obvius quisque bos masculus putabatur ad hoc sacrificium

idoneus, sed immaculatus, hoc est, vitio carens, non cæcus, non fractus, non scabie affectus. Hinc *Malac. cap.1. Maledictus fraudulentus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino.* Integritas enim victimarum, subindicabat integritatē futuri Messiæ, qui peccatum non novit, neq; inventus dolus in ore ejus. Secundò, jubebat Dominus bovem immolandum adduci ad ostium tabernaculi: non permisit enim, vt in quovis loco sacrificia fierent, sed apud tabernaculum, quod religionis exercitio deputatum erat, vt hâc ratione præcideret Dominus omnem occasionē deficiendi ab ipso, & cultu ab eo ordinato. Si enim singulis privatos cœtus & conventicula instituere licuisset, facilè puritas doctrinæ adulterari potuit, & cōventus publici dissipari. Item ex adductione victimæ ad tabernaculum docemur nos, ea sacrificia Deo fore grata, quæ in ecclesia, cujus typus tabernaculum erat, prælucente fide in Christum offeruntur. Tertiò Deus præcepit, vt adducto bove ad ostium tabernaculi, manus capiti ejus ab offerente imponeretur, ad significādum, quòd illum animo spontaneo consecraret in sacrificium Domino; & quòd eum suo loco substitueret, vt pro peccatis suis oblatus, reconciliationis suæ cum Deo pignus esset: Notatur item in hac manus impositione, peccatorum nostrorum deoneratio in Christum. 4° mandabat sacerdotem adductum bovem immolare, sanguinemq; ejus super altare per circuitū spargere, & detractâ pelle artus in frusta concidere, eosque super struem lignorum in altari ponere, vnà cum intestinis & pedibus aquâ lotis: tandem omnia, excep-

exceptâ pelle, incendere, & cremare, igni scilicet illo, qui cœlitus delapsus in altari fovendus erat. In hoc Christi mors & passio adumbrabatur; ille enim in ara crucis immolatus, & in frusta concisus, combustus erat. i. acerbissimos dolores & cruciatus, tam animi, quàm corporis sustinuit, & totus ardentissimo amoris erga nos affectu conflagravit. Sanguinis super altare per circuitũ aspersio indicabat plenam vindicationem nostram à peccatis, & beneficiorum Christi communicationem. Pellis detractio, summæ humiliationis Christi notationem habebat. Intestinorum, pedumq; lotio, puritatem Messiæ ostendebat. Habent alij homines suam passionem & crucem; verùm non habent intestina & crura lota, hoc est, non habent purum animum & pura opera. Subjungit Dominus hostiam hoc modo oblatam gratum & suavẽ odorem sibi fore. Quod non ita accipiendum, quasi Deus ipso sacrificiorum odore per se delectaretur, cùm fœtidum & valdè insuavem odorem habeat arvinarum & adipum adustio; sed significatur mortẽ Christi esse Deo patri in εὐωδίαν, & fidem nostram ascendere coram eo, tanquam aromaticum aliquem suffitum. Ad alteram speciem holocaustorum (scilicet de grege) quod attinet, in omnibus conveniebat cum priori, nisi quòd hîc præciperetur mactari hostiam, non juxta quodvis latus altaris, sed ad latus tantùm aquilonare. Tertia species erat ex volatilibus; vbi sciendum, quòd Deus non quaslibet aves in holocaustum sibi offerri voluit, sed turtures tantùm, & pullos columbarum. Hujus immolationis ritus à prioribus valdè dissimilis erat: aves non mactabantur eo modo

quo pecora; sed jugulabâtur per ἀπόκνισιν, hoc est, per contortionem; vulnere ex vngui facto, capite non avulso, sed in collum retorto: ita vt sanguine profluente, vel potius * expresso, tingeretur latus altaris. In quo passio & mors Christi præfigurabatur, simulque ostendebatur, quòd etsi Christus moriturus esset, & sanguinem pro peccatis nostris effusurus, non tamen erat periturus, sed caput in morte erecturus, .i. resurrecturus, nec vnquam avulsus futurus à corpore suo, quod est ecclesia. Secundo in loco Deus mandabat ingluviem extractam, vnà cum plumis abijci in ollas cinerum; in quo sanctitas Christi significabatur, ingluvies enim immunda censetur, & præterquam quòd plumæ ineptæ sunt ad fouendum ignem, fætent in combustione. Tertiò, jubebat alas findi, sic tamen vt non separarentur à corpore, quo facto, adolebantur in holocaustum odoris grati. Quo monemur, animum offerentis coram Deo præponderare pretio rei oblatæ; avicula enim fide oblata non minùs grata erat Deo, quàm holocaustum quoduis ex iumentis, vel de grege factum. De his singulis agitur, *Leuit.1.*

* Wrong or pressed out.

CAP. 4.

De sacrificio redimente, quod ἀπολυτρωτικὸν appellant.

SAcrificium ἀπολυτρωτικὸν seu redemptorium erat, quo non *vniuersa* (vt in holocausto propriè dicto) sed *certa quædam peccata*, quasi λύτρῳ peculiari expiabantur. Vt totam sacrificiorum rationem plenè

ca-

capiamus, recedendum est à trita & recepta definitione holocausti, quæ docet, idq; à notatione græci vocabuli, quòd omnis victima quæ tota comburebatur, erat holocaustum. Nam aliquando *pro peccato* victima tota comburi solebat, nusquam tamen holocaustum appellatur, sed potius continetur sub sacrificio hoc redemptorio, [f] quod est membrum oppositum holocausto. Veriùs igitur, vt supra monuimus, holocaustum dicitur sacrificium *totum* combustum, quo peccata *vniuersa* expiabantur, & Deus in remissione *omnium* peccatorum fiebat *propitius* Israëlitis; vnde Latino nomine dicitur sacrificium *propitiatorium*; & sic directè opponitur *redemptorio*, quo non *vniuersa*, sed *certa quædam* peccata redimebantur.

[f] *Georg. Sohnius in Ps. 66. Polan. syntagm. theol. Tom. 2. lib. 9. cap. 30.*

Sacrificium redemptorium duplex erat; vnum *pro peccato*, alterum *pro delicto* dictum. Augustinus censuit *peccatum* esse perpetrationem mali, *delictum* desertionem boni. [t] Sigonius, & Georgius Sohnius, multò rectiùs, per vocem *peccati* intelligunt peccata ex errore ignorantiâuè commissa: per *delictum*, peccata à scientibus & volentibus, ex infirmitate commissa.

[t] *Car. Sigonius lib. 4. de rep. Hebr. cap. 7. Sohnius explic. Psal. 66.*

Sacrificiorum pro peccato tria genera, *Levit. 4.* percurruntur, nempe pro ratione personarum peccantium, ex quibus peccatum atrocius aut levius iudicari debuit. Si totius ecclesiæ aut summi sacerdotis peccata essent expianda, juvencus seu vitulus offerri debuit: si principis aut magistratus, hircus: si privati aut plebeij hominis, capra, vel ovis fœmina; sin autē facultates ejus ad hoc essent impares, oportuit offerri turturem, vel pullum columbæ. *Levit, 5. 7.* si ad hoc etiam impares, similam, vel farinam. *Levit. 5. 11.*

Porrò sacrificium oblatū *pro peccato* sacerdotis aut ecclesiæ, totum cremabatur, & sanguine ejus velū sanctuarij aspergebatur septem vicibus, eoq; tingebātur cornua altaris thymiamatis: vna pars victimæ, nimirum totus adeps cum renibus, super altare adolebatur: altera pars extra castra comburi debebat, in loco puro, in quem cineres comportabantur; videlicèt pellis, caro, caput, crura, intestina, & fimus. Sacrificium verò pro peccato principis, aut privati hominis, ex parte tantùm cremabatur; nempe adeps, seu pinguedo vnà cum renibus: caput autem & caro sacerdoti cedebant, & cornua altaris thymiamatis, non cōspergebantur, *Levit. 4.* Sacrificium *pro delicto,* quo peccata ex infirmitate commissa erant expianda, ariete cōstabat: partes hujus sacrificij duæ erant: vna quæ Deo adolebatur in altari, vt renes, fibra seu reticulum jecinoris, cauda, & omnis adeps: altera quæ sacerdotibus cedebat, vt reliquæ carnes omnes, *Levit. 7. 2.*

Sciendum, quòd in his omnibus *totus* adeps ideò jubebatur adoleri, vt inde nos moneremur, *totam* nostram corruptionem, hoc est, peccata nostra ad vnū *omnia* comburere, quasi in sacrificium Jehovæ. Erat enim adeps typus depravatæ nostræ naturæ, adeoq; in scriptura, *cor impinguatum*, aut *cor incrassatum*, significat præfractam animi pertinaciam. Tres autē sunt partes, quarum adipem adoleri Deus præcisè jussit; nimirum adipem obtegentem cor, & reticulum obtegens hepar, ambosq; renes, vnà cum adipe ipsorū. *Cordi* autem scriptura τὸ νοητικὸν, *hepati* τὸ θυμικὸν, *renibus* τὸ ἐπιθυμητικὸν assignare solet: atq; hoc pacto Deus ecclesiam docuit, omnes principales viventium partes

tes, totas velut adipe & crassamento corruptionis obesatas esse, & obstupefactas, nè gratiam Dei oblatā reciperent.

Porrò vtrumq; sacrificium *pro peccato*, & *pro delicto*, vel ordinarium erat, vel extraordinarium. *Ordinarium*, in novilunijs, festo Paschatis, & festo hebdomadarum seu pentecostes: *Extraordinarium*, pro re nata, & pro tempore, quo peccabatur, offerri solebat.

CAP. 5.

De sacrificio, quod typicè Ἐυχαριστικὸν *vocant.*

SAcrificium typicè eucharisticum vocant, quo ad sacrificium verè eucharisticum, & ad novam obedientiam, atq; imprimis ad gratiarum actionē vetus populus exuscitabatur. Nam externis illis sacrificijs ad gratitudinem se assuefaciebant fideles, & ijs suam erga Deum pietatem profitebantur.

Sacrificium euchari- { Simplex.
sticum duplex erat. { Mixtum.

Simplex iterum erat, vel *sacrificium pacificorum*, quod à latinis *victimæ pacificæ*, *hostia pacificorum*, *salutaris hostia*; à Græcis εἰρηνικὰ, θυσία εἰρηνικὴ, *&* σωτήριον dicitur: vel *oblatio* seu *munus*; Græci appellant δῶρον.

Sacrificium pacificorum erat, quo bovem, vel ovem, vel caprum vtriusq; sexus, ad declarandam suam erga Deum, pro pace & salute, gratitudinem offerebant. Partes huius sacrificij tres erant, quarum vna adolebatur Deo in altari holocaustorum, vt renes, reticulum hepatis, & omnis adeps, vnà cum cauda, si agnus

Porrò sacrificium oblatū *pro peccato* sacerdotis aut ecclesiæ, totum cremabatur, & sanguine ejus velū sanctuarij aspergebatur septem vicibus, eoq; tingebātur cornua altaris thymiamatis: vna pars victimæ, nimirum totus adeps cum renibus, super altare adolebatur: altera pars extra castra comburi debebat, in loco puro, in quem cineres comportabantur; videlicèt pellis, caro, caput, crura, intestina, & fimus. Sacrificium verò pro peccato principis, aut privati hominis, ex parte tantùm cremabatur; nempe adeps, seu pinguedo vnà cum renibus: caput autem & caro sacerdoti cedebant, & cornua altaris thymiamatis, non cōspergebantur, *Levit. 4.* Sacrificium *pro delicto*, quo peccata ex infirmitate commissa erant expianda, ariete cōstabat: partes hujus sacrificij duæ erant: vna quæ Deo adolebatur in altari, vt renes, fibra seu reticulum jecinoris, cauda, & omnis adeps: altera quæ sacerdotibus cedebat, vt reliquæ carnes omnes, *Levit. 7. 2.*

Sciendum, quòd in his omnibus *totus* adeps ideò jubebatur adoleri, vt inde nos moneremur, *totam* nostram corruptionem, hoc est, peccata nostra ad vnū *omnia* comburere, quasi in sacrificium Jehovæ. Erat enim adeps typus depravatæ nostræ naturæ, adeoq; in scriptura, *cor impinguatum*, aut *cor incrassatum*, significat præfractam animi pertinaciam. Tres autē sunt partes, quarum adipem adoleri Deus præcisè jussit; nimirum adipem obtegentem cor, & reticulum obtegens hepar, ambosq; renes, vnà cum adipe ipsorū. *Cordi* autem scriptura τὸ νοητικὸν, *hepati* τὸ θυμικὸν, *renibus* τὸ ἐπιθυμητικὸν assignare solet: atq; hoc pacto Deus ecclesiam docuit, omnes principales viventium partes

tes, totas velut adipe & crassamento corruptionis obesatas esse, & obstupefactas, nè gratiam Dei oblatā reciperent.

Porrò vtrumq; sacrificium *pro peccato*, & *pro delicto*, vel ordinarium erat, vel extraordinarium. *Ordinarium*, in novilunijs, festo Paschatis, & festo hebdomadarum seu pentecostes: *Extraordinarium*, pro re nata, & pro tempore, quo peccabatur, offerri solebat.

CAP. 5.

De sacrificio, quod typicè Εὐχαριστικὸν *vocant.*

SAcrificium typicè eucharisticum vocant, quo ad sacrificium verè eucharisticum, & ad novam obedientiam, atq; imprimis ad gratiarum actionē vetus populus exuscitabatur. Nam externis illis sacrificijs ad gratitudinem se assuefaciebant fideles, & ijs suam erga Deum pietatem profitebantur.

Sacrificium euchari-sticum duplex erat. { Simplex. / Mixtum.

Simplex iterum erat, vel *sacrificium pacificorum*, quod à latinis *victimæ pacificæ*, *hostia pacificorum*, *salutaris hostia*; à Græcis εἰρηνικὰ, θυσία εἰρηνικὴ, & σωτήριον dicitur: vel *oblatio* seu *munus*; Græci appellant δῶρον.

Sacrificium pacificorum erat, quo bovem, vel ovem, vel caprum vtriusq; sexus, ad declarandam suam erga Deum, pro pace & salute, gratitudinem offerebant. Partes huius sacrificij tres erant, quarum vna adolebatur Deo in altari holocaustorum, vt renes, reticulum hepatis, & omnis adeps, vnà cum cauda, si ag-

nus offerretur: altera pars sacerdoti cedebat; nempe pellis, maxilla, & vẽter, & prę reliquis armus dexter, et pectus: quo putat [u] Hieronymus sacerdotes moneri, in pectore gestare mundas cogitationes, legis notitiam, & dogmatum veritatem; in brachio autem bona opera. Tertia pars, hoc est totum illud quod reliquum erat, ad offerentem redibat, qui ex eo conuiuium sobrium & lætum instruebat, & eo cum familia sua vescebatur. In quo conuiuio verisimile videtur [x] Mollero, eum qui sacrificia obtulerat, calicem (quem Dauid nominat *calicem salutum* μετωνυμικῶς, eò quòd symbolum esset liberationis diuinæ) manu sustulisse, vel levâsse, & factâ libatione conceptis verbis, gratias pro salute acceptâ egisse.

[u] Hieron: ad Fabiolam de veste sacerd.

[x] Henric. Mol. in Psal. 116. vers. 13.

Sacrificium pacificorum duplex erat, { Spontaneum, Votiuum.

Spontaneum, quod ex animi deuotione, nullâ vrgente necessitate offerebatur, in quo etiam pecus superfluum, curtum, aut diminutum offerre licuit. *Leu. 22. 23.*

Votivum erat, quod ex pacto offerebatur, hoc est, quod quis in angustias ductus Deo nuncupauit, eâ lege, vt liberationem assequeretur, & voti compos fieret. In hoc sacrificio mutilum aut superfluum pecus offerre non licebat, *Leuit. 22. 23.* Quin autem aliquando Iudæi promittebant, non in genere tantùm, sed etiam in specie, se hoc vel illo testimonio externo .i. hoc vel illo certo sacrificio ad animi gratitudinem significandam vsuros, modò diuinâ ope euaderent ex hoc vel illo periculo, ac vota istiusmodi sic in afflictionibus concepta, postea in medio ecclesiæ reddebant,

palàm

palàm coram omni populo narrantes suas angustias, & gratâ commemoratione Dei beneficia celebrantes. *Psal. 22. vers. 23.*

Oblatio erat munus honorarium de terræ fructibus Deo oblatum, quo Israëlitæ testabantur omniū bonorum autorem eum esse, & proventus annuos, quanti quanti essent, ei acceptos ferebant: dicitur etiam **Cibarium munus.*

* A Meate offering.

Oblatio duplex erat { Ex aridis. Ex liquidis.

Oblationum in rebus aridis tria erant genera; vnū, farina pura nondum cocta, hoc est, simila infecta, cui oleum superfundebatur, thure paritèr imposito. Et in hoc munere considerandæ sunt, primùm *res imperatæ*, deinde *actiones* seu ritus. Res tres imperatæ erāt. 1°. Simila, adumbrans hominis pij in Christo constitutionem, se macerandum & subigendum præbentis Domino. 2°. Oleum, adumbrans vnctionē spiritus. 3° Thus, adumbrans εὐωδίαν coram Deo patre, sive gratum nostrum odorem in Christo. Actiones & ritus hi erant: quòd pius munus offerebat sacerdoti, & sacerdos suffitu facto illud Deo offerebat; quâ ratione significabatur pios se Christo offerre, & à Christo illos præsentari Deo patri.

Alterum genus erant primitiæ frugum, hoc est, grana novarum frugum & spicarum glumis excussa, vt igni torrerentur, oleo & thure similitèr additis. Significatio erat eadem cum antecedenti ἀναλόγως.

Tertium genus erat opus pistorium ex simila factum, cujus genera ponuntur tria: vel enim erat panis *furnaceus*, i. in furno seu clibano coctus: vel *Sarta-*

ginalis.i.frixus in sartagine seu cacabo : vel *craticula-ris*.i.tostus in craticula. Iussit autem Dominus, vt si quis panes aliquo horum modorum offerre vellet, coqueret eos absq; fermento & melle, & tum demũ conspersо oleo,& sale adhibito, eos sacerdoti afferret, sacerdos autem vnam partem adoleret; alteram verò, sibi & sacerdotibus alijs servaret in cibum, quo illi inter se vescerētur. Hîc igitur duo cavebantur; vnum, nè quid illegitimũ adhiberetur, cujusmodi erat mel aut fermentum: quo significatur plurimùm corruptio doctrinæ aut morum. Alterum, vt omne sacrificium sale condiretur; quo monemur, nè computresceremus in peccatis, sed memores *fœderis*, quod Deus pepigit nobiscum, vitæ sanctitati studeremus, vnde dicitur *sal fœderis*, *Levit*.2.13.

Oblatio ex liquidis erat, quando vinum Deo fundebatur; quod libamen, & libatio dicebatur. *Num*.15.

Sacrificium mixtum Græcis interpretibus θυσία αἰνέσεως, Latinis *sacrificium laudis* dicitur. Erat autem hujusmodi; quo scilicèt ex animalibus & terræ fructibus Deo offerebant, ad testandam animi gratitudinem, ob beneficia in eos collata.

Adnotatio.

y Bellarminus in primo suo libro de Missa, tota cervice laborat, & strenuè disputat à collatione Ecclesiæ & Synagogæ, populi nimirum Christiani & Judaïci, vsum sacrificij Missatici esse licitum: & missis reliquis argumentis, hoc vno putat se causæ jugulum petijsse. *In populo Iudaïco fuerunt sacrificia propriè dicta;*

y Bellar, lib.1. de Missa ca.21.

cta; ergo & in populo Christiano esse debent. Quis non videt, quòd hæc objectio manifestè litem intendit scripturis sacris, & vniversæ religioni Christianæ? Fuerunt enim in veteri testamento sacrificia externa ab ipso Deo instituta; non eum in finem autem, vt perpetuò in ecclesia durare deberent: sed tantùm in repub. Israëliticâ, stante Mosaïcâ politiâ; quam ob causam Deus ipse limitationẽ adjecit, crebrò inculcans: *Hæc observabitis in generationibus vestris.* Deinde voluit Deus, sacrificia illa externa Levitica, esse vmbras veri & vnici sacrificij propitiatorij, nimirum Christi semel seipsum offerentis in ara crucis. Christo igitur tanquam sole justitiæ jam adveniente, & se Deo patri in sacrificium propitiatorium pro peccatis omnium fidelium exhibente, vmbræ illæ avolârunt, velum Templi scissum fuit à summo ad imum, & jam sacrificijs finem suum sortitis, vterq; populus coalescimus in vnam Ecclesiam Christo sanctam; vnde sophistica planè est disputatio à moralibus ad ceremonialia. Nam quamvìs leges *morales* nunquã antiquandæ sint, tamen ex sententia scholasticorum, *leges forenses* jam *mortuæ* sunt, & *ceremoniales mortiferæ.* Quin autem instat Bellarminus, & acriter vrget, sacrificia non habuisse primam suam originem ex lege Mosaïca, sed ex lege naturæ ortum suũ duxisse: idq; conatur probare ex eo, quòd Abel & Noachus, longè ante promulgationem legis sacrificia obtulerunt. Quis non videt argumentum hoc fallere παρὰ τὸ ἐλλιπὲς διαιρέσεως? Non enim sequitur; sacrificia Abelis, Noachi &c. non sunt à Mose instituta: Ergo ex lege naturæ sunt orta. Datur tertium, nem-

pe quòd orta sint ex ipso mandato & institutione Dei. Patriarchæ illi enim fide obtulerunt *Heb. 11.* Fides autem non est, nisi verbo Dei nitatur; constat igitur non naturæ instinctu, non temerè aut præcipitanter, sed jussu Dei eos sacrificâsse.

CAP. 6.

De Sacris muneribus in Gazophylacium missis; item de primitijs & decimis.

HVic tractationi de *oblationibus*, commodè subnectere possumus nonnulla lectione digna de Gazophylacio, & pecunijs in illud jactis. *Gazophylacium* arca erat constituta in atrio templi juxta altare, idq; ex institutione regis Ioas, de quâ scribitur, *2.Reg.cap.12.* vt in eam voluntaria mitterentur pecuniarum munera, pro templi restauratione, ministrorumq; ac pauperum sustentatione. Hæc nomine partìm Græco, partìm Persico dicebatur *Gazophylacium*, quòd in eâ, tanquàm in sacro aliquo ærario, reconderentur & seruarentur diuitiæ templi. *Gaza* enìm Persicâ linguâ significabat diuitias; φυλάττω autem Græcis est seruare, & custodire. Hebræo aut Chaldaïco vocabulo dicebatur *Corbona*, vt *Mat. 27. Non licet eos immittere in Corbonam, quià pretium sanguinis est*: Nam *Corban* Hebræis significat *donum*. Dionysius, vt nobis innuit [z] Iansenius, putat Corbonam distinctam fuisse arcam ab eâ, quæ dicitur Gazophylacium, & in *hanc* quidē mitti solita ea, quæ templi erant; in *illam* verò, quæ erant Sacerdotum; Sed hæc sententia non facilè elicitur ex sacrâ Scripturâ.

z *Comment. in concord. Euang. cap.121.*

Scripturâ. Huic opinioni forsan [a] Toletus accedit, qui locum assignat huic arcæ in *atrio maiori*, scil: in atrio populi, *quò fœminis ingredi licebat*: quod ex eo colligit, quoniam *vidua illa minuta misit in Gazophylacium*: quasi verò vidua non posset dici mittere in Gazophylacium, si per manus sacerdotis alicuius ad hoc ipsum constituti munus suum offerret, quamuis nunquàm ingrederetur atrium Sacerdotale. Certissimũ enim est, Gazophylacium hoc in atrio sacerdotali, [b] *iuxta altare dextrorsum* positum fuisse. Euerso deindè templo, simul etiam Gazophylacium erat euersum, & restituto restitutum: verùm post restitutionem non factum erat in modum arcæ, sed amplior erat locus, in quo etiam primitiæ & decimæ Leuitarum reponi solebant: *Ad Gazophylacium deportabunt filij Israël, & filij Leui primitias frumenti, vini, & olei. Nehem. 10.* Hìc quia incidit sermo de primitijs, non abs re duxi tribus verbis ostendere varia genera primitiarum et decimarum, nec non videre, quomodò discrepant ab inuicem. *Primitiæ* erant apud Judæos *primæ* fruges quæ maturuerant; quamprimùm enim in aliqua parte agri seges matura videbatur, cogebantur divino mandato inde aliquot manipulos demetere, & certo ritu ad tabernaculum sacerdotibus offerre, *Levit. 23. 10.* [c] Dicunt autem Hebræi se teneri ad septem species *primitiarum*, nempe ad *triticum, hordeum, vuas, ficus, malogranata, olivas, & dactylos palmarum.* Lyranus, quemadmodum refert Lavaterus, docet, cujusq; arbitrio fuisse permissum, vt daret quantum vellet; posteà verò crescente hominum avaritiâ, per sapientes Hebræorum

[a] *Toletus in Ioan. cap. 8.*

[b] *2. Reg. 12. 9.*

[c] *Ludouic. Lauater. in 2. Paral. cap. 31. 11.*

pe quòd orta sint ex ipso mandato & institutione Dei. Patriarchæ illi enim fide obtulerunt *Heb. 11*. Fides autem non est, nisi verbo Dei nitatur; constat igitur non naturæ instinctu, non temerè aut præcipitanter, sed jussu Dei eos sacrificâsse.

CAP. 6.

De Sacris muneribus in Gazophylacium missis; item de primitijs & decimis.

HVic tractationi de *oblationibus*, commodè subnectere possumus nonnulla lectione digna de Gazophylacio, & pecunijs in illud jactis. *Gazophylacium* arca erat constituta in atrio templi juxta altare, idq; ex institutione regis Ioas, de quâ scribitur, *2. Reg. cap. 12.* vt in eam voluntaria mitterentur pecuniarum munera, pro templi restauratione, ministrorumq; ac pauperum sustentatione. Hæc nomine partìm Græco, partìm Persico dicebatur *Gazophylactum*, quòd in eâ, tanquàm in sacro aliquo ærario, reconderentur & seruarentur diuitiæ templi. *Gaza* enìm Persicâ linguâ significabat diuitias; φυλάττω autem Græcis est seruare, & custodire. Hebræo aut Chaldaïco vocabulo dicebatur *Corbona*, vt *Mat. 27. Non licet eos immittere in Corbonam, quià pretium sanguinis est*: Nam *Corban* Hebræis significat *donum*. Dionysius, vt nobis innuit [z] Iansenius, putat Corbonam distinctam fuisse arcam ab eâ, quæ dicitur Gazophylacium, & in *hanc* quidē mitti solita ea, quæ templi erant; in *illam* verò, quæ erant Sacerdotum; Sed hæc sententia non facilè elicitur ex sacrâ Scripturâ.

[z] Comment. in concord. Euang. cap. 121.

Scripturâ. Huic opinioni forsan [a] Toletus accedit, qui locum assignat huic arcæ in *atrio maiori*, scil: in atrio populi, *quò fœminis ingredi licebat*: quod ex eo colligit, quoniam *vidua illa minuta misit in Gazophylacium*: quasi verò vidua non posset dici mittere in Gazophylacium, si per manus sacerdotis alicuius ad hoc ipsum constituti munus suum offerret, quamuis nunquàm ingrederetur atrium Sacerdotale. Certissimũ enim est, Gazophylacium hoc in atrio sacerdotali, [b] *iuxta altare dextrorsum* positum fuisse. Euerso deindè templo, simul etiam Gazophylacium erat euersum, & restituto restitutum: verùm post restitutionem non factum erat in modum arcæ, sed amplior erat locus, in quo etiam primitiæ & decimæ Leuitarum reponi solebant: *Ad Gazophylacium deportabunt filij Israel, & filij Leui primitias frumenti, vini, & olei. Nehem. 10.* Hîc quia incidit sermo de primitijs, non abs re duxi tribus verbis ostendere varia genera primitiarum et decimarum, nec non videre, quomodò discrepant ab inuicem. *Primitiæ* erant apud Judæos *primæ* fruges quæ maturuerant; quamprimùm enim in aliqua parte agri seges matura videbatur, cogebantur divino mandato inde aliquot manipulos demetere, & certo ritu ad tabernaculum sacerdotibus offerre, *Levit. 23.10.* [c] Dicunt autem Hebræi se teneri ad septem species *primitiarum*, nempe ad *triticum, hordeum, vuas, ficus, malogranata, olivas, & dactylos palmarum.* Lyranus, quemadmodum refert Lavaterus, docet, cujusq; arbitrio fuisse permissum, vt daret quantum vellet; posteà verò crescente hominum avaritiâ, per sapientes Hebræorum

a *Toletus in Ioan. cap. 8.*

b *2. Reg. 12. 9.*

c *Ludouic. Lauater. in 2. Paral. cap. 31. 11.*

orum constitutum fuisse, vt minimùm sexagesima pars daretur. In his primitijs Deus ipse ostẽdebat exigendo, & Iudęi eas dando fatebantur, omnia bona ac fructus se de manu & benedictione Dei accepisse. *Decimæ* erant *decima* pars frugum, quam per singulos annos Iudæi sacerdotibus suis solvebant. [d] Tria autẽ fuerunt genera decimarum: primùm *communes*, quæ dabantur Levitis & eorum familijs; *primæ* vocabãtur ab Hebræis. Deinde Levitæ, de illis decimis dabant decimam partem summo sacerdoti, quã appellârunt *secundas decimas*, & [e] *decimas sanctitatum*: Erant ad hæc decimæ, quæ pauperibus, viduis, & pupillis dabantur, tertio quoq; anno ab anno remissionis. *Deut.* 14.28. His quartum genus decimarum [f] Hieronymus adjungit, quas Israëlitæ in suis horreis separabant, vt comederent eas, cùm irent Hierosolymam in templum; & in vestibulo Templi, sacerdotes & Levitas ad convivium inuitarent. Quo jure decimæ hodiè in ecclesia Christiana exiguntur, non est hujus loci disputare, ne quis tamen putet primitias posse eodem jure exigi; notanda est discrepantia aliqua, quam docti ponunt inter *decimas* & *primitias*: Primitiæ quasi quædam victimę Deo magis quàm hominibus offerebantur, vt reliquæ fruges harum oblatione cõsecrarentur; decimæ verò sacerdotibus sustentandis magis, quàm honorandis solvebantur.

d *Lud: Lau: ibid.*

e *2.Par.31.6.*

f *Vid. Hospin. de orig. bonorum Ecclesiast.*

LIB.



LIB. 2. SECT. 3.

DE PERSONIS SACRIS.

De generibus sacrarum personarum.



primordio semper cavit Deus, nè liceret vnicuiq; pro libitu suggestum conscendere, & res sacras manibus (quod aiunt) illotis tractare, idcircò certos quosdam homines ascivit sibi tãquàm in sortem propriam, quibus solis curã, & custodiam omnium rerum sacrarum commisit. Hi verò fuêre *Prophetæ, Sacerdos summus, Sacerdotes secundi ordinis, Levitæ, Cantores, Ianitores, & Nathinæi.* Quis horum vnusquisq;, & quæ ejus functio fuerat, suo ordine expedietur.

CAP. I.

De Prophetis, & Prophetarum filijs.

A vocum finitione omnes plerunq; scriptores orationem suam auspicatos video, vt lectori cõstet, quâ de re instituatur sermo. Præsentis igitur orationis vela antequàm pansurus sim, quædam pręmittenda censui de nominis etymologiâ. *Propheta* Græca vox est, & significat hominem, qui futura potest prænunciare; & etiam pręterita, aut præsentia, quæ

quæ humanæ industriæ cognitu sunt impossibilia, nunciare.

Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα,

quod fertur de Calchante: Et sic Moses *prophetavit* de creatione alijs hominibus incognitâ. Dicitur à Græco verbo πρόφημι, prædico; vel vt alij malunt à προφάναι, quod est ostendere: Et communissimè in sacris literis significat doctorem divinitùs ac immediatè vocatum, qui non tantùm sacras literas populo exponeret, sed etiam futura aliqua, præsertim de Messiâ, & alijs venturis, sive pœnis, sive liberationibus præ-videret, & prædiceret. Prophetis olim indebatur no-
g 1, Sam. 9. 9. men [g] *Videntium*, eò quòd *visionibus* iis, & occultas res illis patefaciebat Deus: aliquando appellabantur *Speculatores*, item *Vigiles*, ac deniq; *Viri Dei*. Nomen item prophetæ aliquando significat *libros Prophetarum*: sicut Christus ipse inquit: *Habent Mosen & Prophetas. Ab istis duobus mandatis tota Lex, & Prophetæ pendent.* Aliquando simpliciter *Doctorem* quemlibet, vt Christus dicit: *Non est Propheta inhonoratus alibi quàm in patria.* Sciendum autem est Prophetas, putà Samuelem, Heliam, & Helisæum collegia instituisse, & quasi ludos publicos aperuisse, in quibus simul vivebant plures discipuli: His præerant Prophetæ illi. Legitur enim in historia Samuëlis, ipsum Samuëlem præfectum fuisse Naioth, hoc est, collegij quod erat extructum in monte sancto in Rama. Ejusdem gymnasij mentio fit *1. Sam. cap. 19.* Collegio Hierichuntino, & Ramoth Gilead, alijsq; Helias aliquando præfuit, deinde Helisæus, vt est videre *Reg. 2. cap. 2.* Jam quotquot discipuli convenerunt ad hos scrip-

turæ exponendæ studio, & sacrarum literarum cognitioni operam daturi, *Filij Prophetarum* dicti erant: quo sensu [h] Græci appellant artis Medicæ candidatos ἰατρῶν παῖδας, *filios Medicorum*: & hoc nomine moniti erant eâdem pietate se prosequi debere prophetas, quâ parentes. Hîc commodè se offert locus ille Hieronymi, quo filios Prophetarum vet. Testamenti [i] Monachos facit. *Filij Prophetarum*, inquit (*quos Monachos in v. Testamento legimus*) *ædificabant sibi casulas, prope fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polentâ & herbis agrestibus victitabant.* Hieronymi mens hîc non est, monachatui papistico aucupari fidem; quem perfectionem Christianã esse definiunt, per paupertatis, continentiæ, & obedientiæ vota acquisitã. Percurrit enim vitia, quibus multi sub prętextu & titulo monachorũ indulgebant: *Quò gula voluerit, porrigunt manũ*, inquit, *crebriusq; in vrbibus, quàm in cellula sunt.* De his morbis, vt Rusticus sibi prospiciat, monet, idq; exemplo illorum, qui cooptarentur in filios prophetarum; qui scil. ad fluenta Jordanis concesserunt ad habitandum, & polentâ & herbis agrestibus victitârunt: Sed neutrum fecerunt eo animo, quo jam factitatum legimus à papisticis monachis: nec enim in loco illo semotiore, aut in victu viliore aliquid sanctitatis inesse putabant, sed vtrumque necessitatis ergô faciebant. Nam *2. Reg. 6.* aiunt ad Elisæum, *Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis*: Et *2. Reg. 4.* legitur Elisæum reversum in Gilgal dixisse puero suo, vt coqueret pulmentũ filiis Prophetarum, *fame* scil. quâ premebantur, sic *vrgente*. Differt autem *Propheta* à *Sacerdote*, quòd sacerdos

h *Erasm. in sua epist. dedicat. Hilario præfix.*

i *Hieronym. ad Rusticum.*

non tantùm hortari,docere,& consolari debuit, verũ etiam administrare sacra, quod Propheta nõ potuit. Deinde Sacerdotes semper erant de tribu Leviticâ: Prophetæ autem ex alijs. Ad hæc,Sacerdotes successione tantùm eligebãtur,& obtinebant ordinariũ ministerium. Prophetæ autem immediatè à Deo extraordinariâ ratione mittebantur.

CAP. 2.

De summo Sacerdote.

INter sacras personas principatum tenuêre *Sacerdotes*,& inter illos dignitate antecelluit is,quem *Summum Sacerdotem* appellârunt. Itaq; in sacris literis non solùm *Sacerdos*,sed etiam *Sacerdos primus*, *Sacerdos magnus*, *Sacerdotum princeps*, sive more Latino *Pontifex* appellari consuevit: Quo constituto,reliqui simpliciter *Sacerdotes*, & *Sacerdotes secũdi ordinis* dicti erant:vt *2.Reg.22.Præcepit rex Hilcijah Sacerdoti magno,& Sacerdotibus secundis,&c.* Præsens tractatus de *Pontifice* instituitur,in quo tria potissimùm occurrũt consideranda. 1 Cautio, 2 Consecratio, 3 Munus, seu officium.

1 Cautio erat de impuritate duplici, aliunde scil. superveniente, & intùs inhærẽte. Impuritas aliunde superveniens cõtrahebatur vel à funeribus,vel à matrimonio;vnde [k] præcepit Dominus, vt summus Sacerdos omninò non ad mortuum,quantumvis proximum accederet,nec persequeretur funus ejus:Causa hujus erat,si pædagogiam spectemus, quòd solus

k Levit. 22.

erat

erat, nec habuit, qui suas suppleret vices istius luctus tempore: Reliquis autem Sacerdotibus, quia eorum multi erant, qui lugentium officio fungi poterant, licebat suorum interesse funeribus. Quod spectat ad matrimonium, Dominus item præceperat, vt summus sacerdos non aliam mulierem in vxorem duceret, quam virginem de populo Israëlitico; & si duxisset aliam, liberos ejus profanos censeri; ita ad fastigium sacerdotale nemo veniret, nisi semen legitimum sacerdotale. Causa erat, ob periculum de legitimo semine in viduâ, & dimissâ, multò magis in meretrice; nam fieri poterat vt ex alio gravidæ essent. Impuritas intùs inhærens, erat vitium aliquod, vel quævis deformitas corporis: Non omnes enim de familia Aaronis ad functionem Sacerdotij admittebantur, multò minùs ad apicem Sacerdotalem .i. ad munus & officium Sacerdotis summi, nisi integro essent corpore, & nullo laborarent vitio: Hinc Antigonus, vt prodit[1] Josephus, cum Hircano Pontificatum ademisset, vt omnem spem recuperandi honoris illi præcideret, auriculas ejus præsecuit. Debiles, manci, cæci, claudi &c. quamvis à Sacerdotij functione excludebantur, victum tamen Sacerdotalem habuerunt. His vmbraculis significabatur, summa illa integritas animi, quam Deus in sacerdotibus lucere voluit.

1 *Ioseph. de bello Iudaico. l. 1. c. 11*

2 Antequàm Aaron & filij eius ministerij sui partes obire incipiebant, publicis ceremonijs eos consecrari, & initiari oportebat. Tempus ad hoc opus consecrationis postulatum erat septemdiale. Modus consecrationis spectatur partim in sacrificijs, de quibus consulatur textus, *Exod. 29.* partim in personis.

Ad rationem personarum pertinent hæc, 1°,vt Aaron sisteretur coram Domino quasi in oblationem sibi: quâ ceremoniâ totum se mancipabat Deo, mundum & res mundanas omnes in posterum abnegaturus: 2°,vt lavaretur; hinc enim significabatur, illum non afferre domo secum munditiem dignam hujus officij sanctitate; ideoque oportere se à sordibus ablui, antequàm inaugurararetur, ablui nimirùm per fidem sanguine Christi, qui hîc adumbrabatur: 3°, vt vestibus sacris ad hoc destinatis indueretur, quarum significatio suo loco ostendetur: 4°,vt caput eius oleo sacro vngeretur: Sacerdotes secundi non *vngi*, sed *aspergi* solebant; quod innuit nobis Christum solum fuisse *vnctum*, reliquos sanctos pro mensurâ *aspergi*: iuxta illud *Psal. 45. Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Notanda autem hîc est quædam impropria locutio, quam fluxisse à ritu Sacerdotum initiandorum [m] Petrus Martyr docuit: Quoniam enim in manibus eorum ponebantur & carnes, & placentæ, quæ tempore consecrationis erant offerendæ, hinc factum est, vt *manus implere*, idem sonaret ac *Initiari. Qui volebat implere manum suam*, hoc est initiari, *facilè Sacerdos euadebat, 1.Reg.13.33.*

m *Pet. Martyr. 1.Reg.13.*

3 Ad munus summi Pontificis quinq; pertinebant. Primum est, vt ingressus tabernaculum quotidiè lucernas, quæ erant in eo, concinnaret: *Exod.30. & Leuit.24.* Secundum, vt ad altare thymiamatis quotidiè incensum adoleret: *Exod.3. & 1.Paralip.6.* Tertium, vt singulis hebdomadis * *panes propositionis* conficeret, & confectos in mensâ apponeret; veteres verò

* The loaues of Shew-bread.

rò, quos à mensâ amouebat, ipse & sacerdotes reliqui in loco sacro ederent, quemadmodũ præcipitur, *Leu.* 24. Quartũ, vt in diebus festis vnà cum reliquis sacerdotibus sacrificia populi offerret. Hoc testatur [n] Iosephus dicens, quòd Pontifex cum sacerdotibus ascendebat ad templum septimo quoq; die, & calendis, & annuis festiuitatibus populi, sacrificaturus. Quintum, vt semel in anno, die festo expiationis, solus illã tertiam partem tabernaculi vel templi, nimirum *Sanctum Sanctorum* ingrederetur, ipsumq; & altare thymiamatis sãguine vituli aspergẽs, à peccatis populi expiaret; et pro seipso, domo suâ, vniuersoq; populo preces funderet: *Exod.* 30. *Leuit.* 16. Hactenus de jis quę proposita sunt; Cautione, Consecratione, & officio: Restat jam explicatio quorundam nodorum, qui maximam pariunt interpretibus molestiam.

[n] *Iosephus de bello Iudaico, lib.* 6.

Regnum Deus addixit tribui *Iudæ, ac posteritati Dauidicæ:* Pontificatum verò *Aaroni & primogenitjs eius.* Primò igitur hîc quæri potest, quomodò hæc dignitas deuoluta sit ad alios? Sciendum est Aaronem superstites duos filios reliquisse, Eleasarum scil. & Ithamarum: & cùm Eleasarus primogenitus esset, sacerdotalis principatus ei & Phinei filio ipsius cessit, durauitque in eâ domo vsque ad tempora Eli, * qui primus è familia Ithamari dignitatem hanc consecutus est; sed quomodò ea translatio contigerit, sacræ literæ non exprimunt: Dubitari tamen non potest, quin fuerit graue aliquod peccatum, quoniam nihil aliud valet ad stabilem promissionem Dei immutandam, præter solum peccatum. Grauissima item peccata, quæ filij Sacerdotis Eli commiserant in conspectu

* *Ioseph. Antiq. lib.* 5. *cap.* 12.

Domini, erant ſola cauſa, quarè Deus præcidit brachium Eli, & ſacerdotalem dignitatem poſteris ablaturus, eam tranſtulit ad Zadok, qui erat ex ſtirpe Eleaſari: in quâ familiâ durauit Pontificatus vſq; ad reditum populi ex captiuitate Babylonicâ; quo tempore, vt docet ° Sigonius ex Ioſepho, Pontifices cœperunt non ſolùm templi & ſacrorum curam gerere, ſed etiam regum officio fungi, vt ijdem Pontifices & reges eſſent; & paulò poſt ex extremitatibus, & de fæce plebeiorum, ſummi Pontifices eligebantur. Eò demum res deuenit, vt Herodes, quandò ab Auguſto Rex Iudęæ factus erat, Pontifices deponeret, alioſq; ſubſtitueret ità pro arbitrio, vt annui facti eſſent Pontificatus, & pecunijs venderentur: Quâ de re latius tractat Ioſephus *lib.22.* Antiquitatum.

° *Car.Sigon.de rep. Heb.lib.5.*

Supereſt alia difficultas, quæ maximum interpretibus faceſſit negotium, vtrùm vnquàm euenerit, vt ſimul bini Pontificatum adminiſtrarent? Liquidò conſtat, *2.Sam.15.* Zadok & Abiathar ſimul geſſiſſe hunc principatum, non per alternas vices. Abiathar à Dauide vncto in regem ſuffectus erat in locum patris ſui Achimelechi, tunc temporis ſcil: quandò intellexerat, non ſolùm Achimelech Pontificem, ſed octoginta alios ſacerdotes interfectos fuiſſe à Saule ob panes illi in fugâ datos: Zadok eodem etiam tempore à Saule electus erat, & hi duo regnante Dauide ſimul Pontificatu fungebantur: Salomon autem rex conſtitutus Abiatharum Pontificatu mouit. Quæri hic meritò poteſt, quorſum Dauid, quem nullus juris diuini apex poterat latere, duos Pontifices permiſit, lege præſertim præcipiente huius dignitatis vnum ſo-

solum, idq; primogenitum demortui, vel ob defectū primogeniti proximum eius fratrem esse capacem? Dici potest Dauidem hoc fecisse, vt implerentur verba Domini, quibus Deus comminatus est Eli, *1. Samuel. 2. 32: Videbis æmulum tuum in templo, &c:* quod Eli in personâ suâ non vidit, sed Abiathar, qui descendit de Eli hoc vidit, in quo ipse Eli quodammodò remanserat, *sicut homo mortuus in filio vivente*, vt tradit [p] Lyra. Tempore igitur Davidis factum erat, vt hoc verbum impleretur: *Eli*, hoc est, *Abiathar de familiâ Eli*, videret *æmulum* in templo. i. *Zadok de stirpe Eleasari.* [q] Aliorum sententia est, sacerdotij munus tunc temporis quodammodò laceratū fuisse, & justis de causis divisum inter hos duos Pontifices; quoniam Arca restabat Hierosolymis, Tabernaculum autem in Gabaön; ideóq; neminem vnum aiunt fuisse parem ad obeundum munus vtrobiq;: vndè factum est, vt custodia Arcæ Zadoco, Tabernaculi autem Abiatharo deputaretur.

p *Nic. de Lyra. 1. Reg. 2.*

q *Zepper. legum Mosaic. explan. lib. 2. c. 2.*

At verò de expositione Evangelistæ non ità convenit inter interpretes: *Sub Pontificibus maximis Annâ & Caiphâ factum est verbum Domini*, inquit [r] *Lucas*: Quæ verba videntur innuere vtrumq; eodē tempore Pontificatum gessisse. Cui sententiæ favisse videtur [s] Augustinus, qui docet morem apud Judæos per ea tempora inolevisse, vt plures Pontifices sacerdotali officio vicibus alternis fungerentur. Baronius autumat Caipham solummodò verè Pontificem fuisse, Annam autem sic dici, vel quòd erat *princeps classium sacerdotalium 24*; vel quia erat *collegij Sanhedrim princeps*: sed harum opinionum priorem incertam,

r *Luc. 3. 2.*

s *Tract. 49. in Ioannem.*

po-

posteriorem palàm falsissimam ostendit ille impensè doctus [t] Casaubonus.[u] Eusebius videtur interpretari verba Evangelistæ hoc modo: sub Pontificibus maximis Annâ & Caiphâ factum est verbum Domini.i. circa Pontificatum Annæ cœpit, et ad Caiphę principatum vsq; perseveravit Christus prædicaturus Evangelium: quod temporis interstitium vult Eusebius esse quadriennium, quatuor interiectis Pontificibus, annuâ Sacerdotij administratione perfunctis inter Annam, & Caipham. Ego autem cum Casaubono & [x] Sigonio faciliùs crediderim, partìm veterem consuetudinem esse servatam, vt nunquàm nisi vnus summus Pontifex esset; partìm novam inductam, vt omnes qui Pontificatum semel gessissent, nomine quasi honorario *Pontifices* semper appellarētur: quē admodùm Consules postquàm consulatu abiissent, majoris honoris ergô sempèr dicebantur *viri consulares*. Quamvis igitur Pontificatus residebat reverà apud Caipham solum, tamen Annas ejus socer Pontifex appellari poterat novo hoc loquendi more. Cōstat enim è Josepho pluribus in locis, ijs qui eam dignitatem semel nacti fuissent, nomen remansisse etiam post rem ablatam. Libro suo belli secundo nominat Jonatham & Annam Pontifices, cùm tamen verè tātùm Ionathas Pontificatui pręesset; Anna verò Jonathæ pater fuit. Item pòst nominat Ananum & Jesum simul Pontifices, cùm tamen Ananus abrogatus, Jesus suffectus fuisset.

t Casaub. exercit. 13. ad Annal. Baron. 10.

u Euseb. hist. Eccles. l. 1. c. 11.

x Car. Sigon. de rep. Heb. lib. 5.

Quæri insuper hîc potest, quomodò Herodes dicitur, *Mat. 2. 4.* congregâsse omnes *principes Sacerdotū*, cùm vnus tantùm esset apud Judæos, qui propriè e-

rat princeps Sacerdotum? In Evangelijs dùm principum plurium fit mentio, oportet intelligere eos, qui sibi mutuò in Pontificatu succedebant, & aliquandò Pontifices fuerant: nam his etiam manebat nomen Pontificis, postquàm Pontificatu abijssent. Aut potiùs ij intelligendi sunt vocari principes Sacerdotum, qui principes erant illarum 24. classium, de quibus pleniùs agitur in cap. proximo de Sacerdotibus secūdis: Nam & hi appellantur *Principes Sacerdotum*, & *Principes Sanctuarij*, vt videre est, *1. Paralip. 24.* Et de his volunt interpretes Evangelistas locutos, quoties narrant Principes Sacerdotum, vnâ cum Pontifice convenisse in Concilium ad sententiam ferendam de re quâvis. Hoc sensu Sceua ille, *Act. 19.* dicebatur summus Sacerdos.

Adnotatio de Pontifice Romano.

Moses, inquit [y] Bellarminus, cùm ordinaret remp. Iudæorum, Aaronem consecravit Pontificem, eiq; vni Sacerdotes & Levitas omnes subjecit. Cùm igitur illius temporis ecclesia, ecclesiæ huius temporis figura sit, ratio omninò exigit, vt sicut illa præter *Deū invisibilem Rectorem*, vnum habuit *Rectorem visibilem*; ità quoq; & istā habere oporteret. Quis hîc nō videt, quàm propinquâ ruinâ laborat Papistica Monarchia, cùm scopis tàm dissolutis fulcienda fuerit? Aaron & legalis Pontifex apud Iudæos gessit figuram ipsius Christi, quod liquet ex illâ prolixâ vtriusq;, tanquàm vmbrę & veritatis comparatione habitâ ab Apostolo, *Heb. 9.* Quid hoc ad Pontificem Rom? Recti-

[y] *De Rom. Pontif. lib. 1. cap. 9.*

ùs collegiſſet Bellarminus quòd Christus, quem Leviticus Pontifex adumbrabat, futurus erat verus Pontifex & caput eccleſiæ, quod nemo ſanus negaturus eſt: Quod autem interſerunt, & ogganniunt, de alio viſibili & miniſteriali capite, fabulæ vice haberi debet. Aaron, inquiunt, erat caput viſibile tempore legis: cur ergo tempore Evangelij eccleſia ſuo deſtituetur capite viſibili? Largimur quidem Aaronem fuiſſe caput *viſibile*, nequaquam tamen quà typus *miniſteriale*: nam hoc ipſo nomine, quo alijs ſuperior erat, referebat ipſum Chriſtum. Erat autem caput *viſibile*, quoniam quemadmodum reliquæ ceremoniæ terrenæ & *viſibiles*, Iſraëlitas tãquam manuducebant ad cognitionem altiorum myſteriorum: ſic etiam ex primatu *capitis* illius *viſibilis*, dignitatem capitis inviſibilis, ipſius ſcil. Chriſti, tanquam ex vmbra corpus conſequebantur. Cùm verò ſol juſtitiæ jam affulſerit, & quaſi σωματικῶς apud nos habitaverit, cùm ſermo caro factus ſit, & cùm [z] *Adveniens Chriſtus Pontifex futurorum bonorum, per maius & perfectius tabernaculum, non manufactum, neq; per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per propriũ ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſacrarium, æternam redemptionẽ nactus*; quid opus nobis erit jam Pontificulo aliquo Papali ad adumbrandũ Chriſtum; quin ipſe apparuit nobis gloriæ & gratiæ plenus? At vero dato, quod acriter vrgent Papiſtæ, nimirum Pontificẽ hunc Judaicum fuiſſe Rom. Pontificis typum, ſi illi ex analogia probare vellent Rom. Pontificem reliquis omnibus Sacerdotibus præeſſe, quemadmodũ ſummus Sacerdos in v. Teſtamento, reliquos omnes Levitas

z Heb. 9. 11.

vitas dignitate antecelluit; quare non licebit nobis ex eadem analogia inferre? Pontifici & reliquis sacerdotibus Leviticis licebat vxores ducere, ergo pari jure Sacerdotes novi testamenti vxores ducere debent. Sed cardo hujus controversiæ huc potissimum spectat, quod multis retrò annis olfecit Nilus ille Archiepiscopus Thessalonicensis: nimirùm, volunt Papam esse vniversalem Episcopum, sub quo nomine, vniversale exerceret judicium, & causas singulas, per totum terrarum orbem, solus cognosceret, solus decerneret. Sed [a] suis ipsius verbis claudemus omnia. *Τῆς διαστάσεως αἴτιον ἐστὶ, τοὺς μὲν Ῥωμαίους διδασκάλους τοῦ ζητουμένου ἐθέλειν καθέζεσθαι, τοὺς δὲ ἄλλους ἐν μαθητῶν μοίρᾳ ὑπακούοντας ἔχειν*: hoc est, Causa omnis dissidij erat, quoniam Romani *Magistrorum* in re quæsita partes sibi sumunt, alios verò instar *discipulorum* dicto audientes habere velint.

[a] *Nilus de causis dissens. Eccl. lib.* 1.

CAP. 3.

De Sacerdotibus secundis.

OMnes reliqui de posteris Aaronis præter vnũ primogenitum, qui Pontificatum gereret, *Secundi*, & *secundi ordinis Sacerdotes*, & *Secundani* dici solebant. In his autem, quemadmodum supra in Pontifice, tria pariter observanda sunt: 1. *Cautio.* 2 *Consecratio.* 3 *Munus*, seu officium. Quod spectat ad *cautionem*, conditiones requisitæ in Sacerdote summo & 2do per omnia conveniunt, nisi quòd licuit Sacerdotibus secundis suorum interesse funeribus, summo sacerdoti non item, ob rationem suprà latam. Sic etiam ritus consecrationis idem prorsus e-

rat, nisi quòd discriminis aliquod esset in vestitu, de quo suo loco: & summus sacerdos *oleo vngi*, reliqui *aspergi* cōsuêrunt. Octo autē erant, quæ spectabant ad officiū horū Sacerdotū. Primò olea cōservare, quorū nonnulla pro lucernis, alia pro vnctionibus sacris vsui erant. *Num.4.* 2° vasa tabernaculi custodire, & eorum curam gerere. *ibid.* 3° iuge sacrificiū matutinū & vespertinum offerre. *ibid.* 4° Pontifici præstò esse in auxilium, quotiescunque suffitum faceret super altare thymiamatis, vel adoleret super altare holocausti. 1.*Paralip.6.49.* 5° offerre sacrificium, si quando pro populo, aut pro privatis extra ordinem offerendum esset. 2.*Paralip. 29.21.* 6° diebus festis sacrificium populi agere, quod satis liquet, vbicunque in scriptura agitur de sacrificijs pro singulis festis præscriptis. 7° pelles holocaustorum detrahere. *Levit.1.* 8° extra ordinem portare arcam. 1.*Reg. 8.3.* extra ordinem, inquam, nam id operis propriè spectabat ad Levitas de familia Caath. *Num. 4.*

His prælibatis, nunc ex quo genere hominum, vel ex qua prosapia sacerdotes lecti sunt, & quomodò in classes 24. distributi, narrandum. Sciendum quòd à principio Nadab, Abihu, Eleasar, & Ithamar sacerdotio ornati erant, ex mandato Dei vestiti & consecrati ad hoc. Extinctis verò Nadab & Abihu, quòd ignem alienum, non sacrum, sacrificijs intulissent, superfuere Eleasar & Ithamar, è quorum prosapiâ numerosa Pontificum & Sacerdotum series ortum duxit. David, nè confusio aliqua oriretur ob multitudinem Sacerdotum, quæ jam succrevisset, [b] distribuit illos omnes, quos ex Eleasari familia reperit, in sexdecim

b 1.*Paralip.24.*

classes

classes: illos verò, qui ex Ithamaro originẽ ducebant, in octo: ità vt vniversum sacerdotum collegium in 24. classes erat distributum: singulis classibus præfecit *principem* vnum, ipsammet classem à principe illo denominans. Mortuo vno ex his primis principibus, statim alius fuit substitutus: at omnes successores ad Christi vsq; tempora, nomina habuerunt à primis illis. [c] Nè tamen lis aliqua suboriretur de principatu primæ classis; cùm omnibus innatum sit locum ambire in primis, non in secundis aut vltimis, & ęgrè plęriq; ferunt homines, se alijs ejusdem ordinis postponi; voluit igitur sortilegio rem componi & definiri, quæ prima, & quæ secunda, & quæ tertia vsq; ad vicesimam quartam futura esset: Imò cùm instituisset, vt singulæ classes singulis hebdomadibus in templo ministrarent, sortitus est etiam munus, quod singuli Sacerdotum illius classis obirent, verbi gratiâ, quis suffitum faceret, quis in altari holocaustorũ offerret: (vndè *Lucas 1. cap.* dicit Zachariæ obtigisse *per sortem*, vt incensum poneret) quis pelles detraheret, &c. Hęc omnia constant ex *1. Paralip. cap. 24.* Ex dictis colligi potest, quòd omnes Levitę & Sacerdotes assiduè Hierosolymis agere non tenebantur, sed quælibet Sacerdotum classis, provt sors postularet, cum sua Levitarum turma die Sabbati ad ministrandum ingrediebatur templum; eodem die sors illa, quæ officium suum elapsâ septimanâ obierat, egrediebatur, & ad suas singuli civitates revertebantur, in synagogis per singula sabbata in erudiendis adultis, & pueris, officiũ suum facientes. Quas nos more Latino vocamus, *classes*, Latinus interpres vertit modò *vices*, modò *tur-*

c *Lavater. sup. 1. Paralip. 24.*

turmas, Græcus ἐφημερίας. Notandum autem, quòd dictio græca ἐφημερία evidentior est, & amplius quid significat, quàm *vicem*. Indicat enim certos dies fuisse præscriptos, in quibus certi Sacerdotes administrarent: proindè [d] Theophylactus interpretatur *hebdomadam*: Et hæc mihi videtur fuisse sola ratio, quarè interpretes appellent hos Sacerdotes sic distributos, *Hebdomadarios*. Sin cui libeat nomina eorum videre, qui primùm constituti erant principes, & nomina classibus dederũt, illa omnia subjecta tabula ostendet. Octava classis vocabatur à suo principe *Abia*: & hujus meminit, *Lucas cap. 1*. Erat sacerdos quidam nomine Zacharias de vice *Abia*. Iam verò, cuiq; classi præpositus, vocabatur communi nomine cum summo Põtifice ἀρχιερεὺς, i. *princeps sacerdotum*, vel *summus sacerdos*, scil: inter sacerdotes suæ classis. Verisimile est hujus consuetudinis atq; ordinationis, aliqua vestigia mansisse post captivitatem Babylonicam, ideóq; & nomen principum sacerdotum cum re servatum esse: Ità vt mirum non debeat videri, si subindè in Evangelijs legamus convenisse plures summos Sacerdotes in judicium, cùm tamen vnus esset, ad quem solum principatus spectabat; sed hi omnes solebant illi assidere in Iudicijs.

d Theoph. in Lucæ cap. 1.

Vi-

Vices sacerdotum in vnâ tab. comprehensæ.

1 *Iehoiarib.*	13 *Huppa.*
2 *Iedaia.*	14 *Iesebab.*
3 *Harim.*	15 *Bilga.*
4 *Seborim.*	16 *Immer.*
5 *Malcia.*	17 *Hesir.*
6 *Miamim.*	18 *Happizez.*
7 *Hacor.*	19 *Pethahia.*
8 *Abia.*	20 *Iehezkel.*
9 *Iesua.*	21 *Iachin.*
10 *Sechanias.*	22 *Gamul.*
11 *Eliasib.*	23 *Deliaias.*
12 *Iacim.*	24 *Maazias.*

CAP. 4.

De Leuitis.

QVoniam vnaquæq; res, ex proprij seu vsitati sui nominis euolutione clariùs innotescit, primo ingressu igitur, premittenda quedam sunt de nominis ratione; tùm demùm triplex Leuitarum recensio occurrit consideranda; & vltimo in loco, perpendenda est eorum distributio, facta secundum triplicem familiam ex Leui ortam. Quod ad primũ, aduertendum, quòd omnes, qui ex tribu Leui originem duxissent, communi nomine *Leuitæ* dicebantur: & hoc modo sacerdotes etiam in *Leuitarum* numerum cooptabantur. Sed *Leuitæ* plerunq; strictiore significatione, eos solummodò significabant, qui mune-

nera Leuitarum propria obibant: qui scilicèt veluti *Diaconi* destinati erant in auxilium sacerdotibus. Tres erant filij proximè ex Leui geniti, nimirum Gerson, Caath, & Merari. Caath verò genuit Amram, Isaar, Hebron, & Oziel: Ex Amram nati sunt Moses & Aaron; ex Aaron Eleasar & Ithamar. Vt autem per posteros Eleasari & Ithamari, Pontificum & sacerdotum genus propagatum est: sic ex reliquis Leui filijs, nepotibus, & pronepotibus, vniuersum genus sacrorum ministrorum, quos Leuitas scriptura appellat, manavit. Secundò quod ad recensionem spectat, triplex ea erat: Prima, quandò primum ætatis mensem excessissent, *Num. 3.* quâ recensione in sacram sortem deputabantur, & quasi Deo sistebantur: quod fieri non oportuit, cùm recèns nati essent, quoniam masculi infantes spatio vnius mensis impuri erant: post triginta tres dies spatium erat legitimum, quo oportebat eos purificari, *Leuit. 12.* Secunda recensio facta erat anno ætatis vicesimo quinto, *Num. 8.* quo tempore illos ad ministerium accedere oportuit; ad ministerium, inquam, non ad portandum tabernaculum cum vasis suis: Nam id muneris solebat imperari in 3ª. recensione, quæ fieri non solebat ante annum ætatis trigesimum, *Num. 4.* quandò scilicèt ætas erat firma, & plenè virilis: & quoniam in senectute vires plerunq; impares sunt ad portanda & sustinenda onera, ergò quinquagenarij omnes tanquàm emeriti & rude donati, cessabant à portãdo tabernaculo. Illis nimirùm indulgebatur vacatio & immunitas à ministerio: Dico autem indulgeri, cùm non imperaretur: Itaq; si cuperent manum adhuc moue-

re

re rebus sacris, nemo impedire poterat. Verùm præerant illi ministrantibus auctoritate, doctrinâ, consilioq; suo, non manum æquè operi admouentes, vt Leuitæ alij gregarij, sed obseruantes, & rationẽ communis illius ministerij junioribus suis fratribus, quorum velut ductores & inspectores erant, præscribentes. Ac proindè (quod obseruatu dignum est maximè) in ratione Leuitarum ex ætate vel recensione habitâ, quatuor ordines distinguimus, siuè vt Paulus appellat βαθμοὺς, *1. Tim. 3, 31.* & [c] Iunius explicat. Primus erat *Catechumenorum* siuè tyronum, quos ad ministerium oportebat informari ad annum vsq; 25. indè à pueritiâ. Secundus erat * τῶν λυτῶν, vt appellantur in jure; quos, vt vetera rebus præsentibus conformemus, putabimus gradum aliquem quasi in artibus adeptos. Tertius τῶν προλυτῶν, qui licentiam (vt ità loquamur) ministerij sui fuerunt assecuti, & jam profitebantur. Quartus deniq; erat *Doctorum*, qui inferiorum ætate ministerium obseruabant, ac non subire ipsi tenebantur; communi vocabulo [f] *Rabbini* dicti sunt. Reliquum est, vt descendamus jam ad Leuitarum distributionem factam per officia & ministeria; vbi sciendũ, quòd duplex fuit Leuitarũ ordo; alter Mosis tempore à Deo institutus, alter verò à Dauide rege innouatus. De vtroq; suo ordine. Constat ex 3°. *cap. Num.* primogenitos omnes Hebræorum Deo deberi in ministerium, eò quòd propter eos, omnes Ægyptiorum primogenitos interfecerit: Pepegit ergò Dominus cum Hebræis, vt loco primogenitorum sibi assumeret tribum vnam, & hæc esset Leuitica, ex quâ templi ministros sibi eligeret.

c *Franc: Iunius Analyt: expl: Num: 8.*

* *In iuris studio qui quartum iam annum ei operam dedissent, tantosque in eo progressus fecissent, vt de eo respondere probè possent, & quæstiones soluere,* λυταὶ *nominabantur i. solutores. At qui quintum,* προλύται, *quòd vt anno vno, ita etiam peritiâ in legum ænigmatis & nodis iuris soluendis anteirent* τοὺς λύτας, *quasi præsolutores diceres.* In procœmio Pandect.

f *Zepperus lib. 2. de leg. Mosai. cap. 2.*

His *Levitis* commisit Deus curam Tabernaculi, vasorum,& instrumentorum ejus, & arcæ fœderis, vt ea deferrent & custodirent, & vt Sacerdotibus ministrarent. In his muneribus obeundis Levitæ permanserunt vsq; ad tempora Davidis, qui priore illo ordine quodammodò abrogato,[g] novum instituit, nam arcæ ferendæ onere sublato, Levitas alios Sacerdotũ & templi ministros, qui propriè *Levitæ* dicti sunt; alios cantores; alios Janitores; alios Scribas & Judices esse constituit. Levitarum erant viginti quatuor millia, quos in viginti quatuor classes, quemadmodum supra distribuisset sacerdotes, dividebat & singulis classibus principem vnum præficiebat, vnde mentio aliquando fit [h] de *principibus Levitarum*. Scribarum & Judicum sex millia, qui de rebus ad se latis sententiam ferebant,[i] idq; non ex alijs legum & Judiciorum libris, quàm Mosaicis, qui ipsis commissi erant. Cantorum quatuor millia, qui nõ voce tantùm, verùm etiam in organis, & cujusq; generis instrumentis canebant Domino, ad spirituale & plenũ ecclesiæ sub Christi regno gaudium figurandum, & inter hos *Asaph, Iedithun, qui & Athan* appellatur, *et Heman* erant præcipui. Janitorum erant pariter & quatuor millia, qui ad quamq; templi Hierosolymitani portam in vnaquaq; vrbis plaga cõstituti erant, ne impuri & immundi templum ingrederentur, aut aliqui ad portas tumultuarentur; quia plurimi non ex Palæstina tantùm, sed alijs quoq; regionibus, inprimis ad festa solennia Hierosolymam cõfluebant. Repetendum hîc est, quòd Levi tres filios habuit, *Gerson, Caath*, & *Merari*: vnde factum est, vt Moses ap-

g 1.Paralip.c.23.

h 1.Esd.8.

i Zepperus lib.2. de leg.Mosaic. cap.2.

appellaret omnes Leuitas oriundos ex *Gersone Gersonitas*, *ex Caath Caathitas*, *& ex Merari Meraritas*; & vnicuiq; familiæ suum proprium assignaret officium, quod patet *Num.4. Caathitis* ferenda committebat arcam, mensam, candelabrum, altaria, velum sancti sanctorum, & omnia vasa & instrumenta, quæ ad commemorata pertinebant. Hæ vero cùm sacratissimæ Tabernaculi partes essent, non priùs illis eas vel attingere, vel portare licuit, quàm essent à Sacerdotibus involutę & opertę. Porrò *Gersonitis* tradebat Dominus ferendū, & portandum, tectum sivè operimentum Tabernaculi, itemq; tapetes, & velaria omnia, & adhæc quicquid esset supellectilis. *Meraritarū* munus erat portare asseres Tabernaculi, vectes, columnas, stylobatas, paxillos, funes quibus intendebantur cortinę. Vnde apparet maximè honorificā functionem sustinuisse Caathitas, quòd portarent non modò quæ pretiosiora & sacratiora erant, sed etiam portatu faciliora. Tabula subjecta ostendit Levitarum vices, quibus per singulas hebdomadas Deo inserviebant, eam habemus sic delineatam à [k] Lavatero.

[k] *Lavat in 1. Paral. cap. 23.*

His *Levitis* commisit Deus curam Tabernaculi, vasorum,& instrumentorum ejus, & arcæ fœderis, vt ea deferrent & custodirent, & vt Sacerdotibus ministrarent. In his muneribus obeundis Levitæ permanserunt vsq; ad tempora Davidis, qui priore illo ordine quodammodò abrogato, [g] novum instituit, nam arcæ ferendæ onere sublato, Levitas alios Sacerdotũ & templi ministros, qui propriè *Levitæ* dicti sunt; alios cantores; alios Janitores; alios Scribas & Judices esse constituit. Levitarum erant viginti quatuor millia, quos in viginti quatuor classes, quemadmodum supra distribuisset sacerdotes, dividebat & singulis classibus principem vnum præficiebat, vnde mentio aliquando fit [h] de *principibus Levitarum*. Scribarum & Judicum sex millia, qui de rebus ad se latis sententiam ferebant, [i] idq; non ex alijs legum & Judiciorum libris, quàm Mosaicis, qui ipsis commissi erant. Cantorum quatuor millia, qui nõ voce tantùm, verùm etiam in organis, & cujusq; generis instrumentis canebant Domino, ad spirituale & plenũ ecclesiæ sub Christi regno gaudium figurandum, & inter hos *Asaph, Iedithun, qui & Athan* appellatur, *et Heman* erant præcipui. Janitorum erant pariter & quatuor millia, qui ad quamq; templi Hierosolymitani portam in vnaquaq; vrbis plaga cõstituti erant, ne impuri & immundi templum ingrederentur, aut aliqui ad portas tumultuarentur; quia plurimi non ex Palæstina tantùm, sed alijs quoq; regionibus, inprimis ad festa solennia Hierosolymam cõfluebant. Repetendum hîc est, quòd Levi tres filios habuit, *Gerson, Caath, & Merari*: vnde factum est, vt Moses ap-

g *1. Paralip. c. 23.*

h *1. Esd. 8.*

i *Zepperus lib. 2. de leg. Mosaic. cap. 2.*

appellaret omnes Leuitas oriundos ex *Gersone Gersonitas*, *ex Caath Caathitas*, *& ex Merari Meraritas*; & vnicuiq; familiæ suum proprium assignaret officium, quod patet *Num.4. Caathitis* ferenda committebat arcam, mensam, candelabrum, altaria, velum sancti sanctorum, & omnia vasa & instrumenta, quæ ad commemorata pertinebant. Hæ vero cùm sacratissimæ Tabernaculi partes essent, non priùs illis eas vel attingere, vel portare licuit, quàm essent à Sacerdotibus involutę & opertę. Porrò *Gersonitis* tradebat Dominus ferendū, & portandum, tectum sivè operimentum Tabernaculi, itemq; tapetes, & velaria omnia, & adhæc quicquid esset supellectilis. *Meraritarū* munus erat portare asseres Tabernaculi, vectes, columnas, stylobatas, paxillos, funes quibus intendebantur cortinę. Vnde apparet maximè honorificā functionem sustinuisse Caathitas, quòd portarent non modò quæ pretiosiora & sacratiora erant, sed etiam portatu faciliora. Tabula subjecta ostendit Levitarum vices, quibus per singulas hebdomadas Deo inserviebant, eam habemus sic delineatam à [k] Lavatero.

[k] *Lavat.in 1. Paral.cap.23.*

Levitarum vices.

1	Iehiel.	Laadanitæ, vel Libnitæ.	Gersonitæ.
2	Zethan.		
3	Ioel.		
4	Solomith.		
5	Haziel.		
6	Haran.		
7	Iaath.	Simeitæ.	
8	Zina, aliter Ziza.		
9	Ieus. / Beriah.		
10	Sebuel	Gersonitæ.	Caathitæ.
11	Rebabia	Eliezeritæ.	
12	Salomith.	Isharitæ.	
13	Iahath.		
14	Ieriah.		
15	Amariah.	Hebronitæ.	
16	Iehaziel.		
17	Iacumeã.		
18	Micha.	Vzielitæ.	
19	Iesia.		
20	Eleazar.	Machlitæ.	Meraritæ.
21	Cis.		
22	Machli.	Musitæ.	
23	Eder.		
24	Ieremoth.		

Hi duo unã familiã cõstituunt, propter paucitatẽ. (beside 9: Ieus, Beriah)

Iahath nominatur inter residuos Levitas; hoc loco ponitur, vt numerus constaret: vel Ieus & Beriah etsi vnã familiam constituant, tamẽ seorsim sũt numerãdi.

CAP.

CAP. 5.

De Scribis.

Scribæ apud Judæos ijdem fuerunt, qui sunt *Canonistæ* apud Papistas: ijdem *Pharisæi*, qui apud illos *Scholastici*: sic eos committit inter se [l] Genebrardus. [m] Toletus autem autumat hos fuisse inter Hebręos, quemadmodum *Magi* inter *Chaldæos*. Sed propiùs ad scopum [n] Iansenius, qui statuit hos ex Prophetarum scriptis respondere solitos in rebus dubijs, quemadmodùm *Quindecim-viri* (Aruspices, vt ille falsò ponit) apud Romanos ex Sibyllę libris: Ità vt in sacris literis, non quivis amanuensis Scriba diceretur, vt Latinis ista vox sonat; sed peritus sacrarum literarũ interpres, aut *Doctor*, fermè sicut nos dicimus *Theologum*. Quòd [o] D. Ambrosius asserit, de tribu Simeonis Scribas ortum duxisse, intelligi debet non de *scribis magnis*, de quibus solis fit mentio in sacris literis: nam Esdras [p] scriba fuit de tribu Leviticâ: sed de alijs scribis, quos appellabat Rabbi Selomoh *Scribas pauperes*, qui pueros instituebant in efformandis literis. Qui plura hâc de re cupit, consulat illum non ità olim Atlantem literarum [q] Rainoldum loco in margine allegato. Sacra scriptura igitur duo prodit munera, quæ Scribæ obibant: Primum, vt legem populo legerent in templo & synagogis, ejusq; sensus eruerent & exponerent, quoties opus esset: propterea in Evangelijs dicuntur νομικοὶ & νομοδιδάσκαλοι. Alterum eorum munus erat, Iudicis fungi officio in cognos-

[l] *Chronog. lib.* 2.
[m] *Toletus in Ioan.* 18.
[n] *Iansen. in concord. Evang. c.* 9.
[o] *Amb. tom.* 4. *cap.* 3.
[p] *Esr.* 7. 6.
[q] *Vid. colloq. Ioan. Rainoldi cum Hart, cap.* 7. *Sect.* 4.

cendis & dirimendis causis, quotiès fieret postulatio: vndè Græcus interpres, *1.Paralip.23.* vertit eos γραμματέας καὶ κρίτας. Quod ad primam illorum institutionē spectat, plurimi illam petunt ab ipso Mose: sed verisimilius est, quamvìs munus hoc legem exponendi, & causas cognoscendi Mosem habuerat autorem, nomen tamen Scribarum non innotuisse illi ætati, sed multò post irrepsisse in ecclesiam, nimirùm quandò David Levitas omnes in certas classes distribuebat.

CAP. 6.

De Gabaonitis.

PRæter Levitas ad opus Tabernaculi, adhibebantur etiam *Gabaönitæ* ex clade Saulis reliqui. *Gabaönitæ* hi ex populo Dei non fuerunt: sub [r] Iosuâ autē callidè longinquam peregrinationem simulantes, quam seniorum suorum nomine susceperunt ad Israëlitas, famâ & celebritate nominis ipsorum excitati, in fœdus populi Dei sese insinuârunt: posteà re compertâ, cùm juramentum ipsis præstitum violari non posset, in pœnam ipsis impositum erat, vt aquas haurirent, & ligna cæderent, ad ædis sacræ ministerium. Tempore Davidis dicti fuerunt hi Gabaönitæ *Nathinæi*, quasi dedititij, seu adscriptitij. *Esr.8.v.20.* Vt igitur Levitæ respectu habito ad Sacerdotes *Diaconorum*: sic hi *Subdiaconorum* fungebantur munere. [s] Docet etiam Petrus Martyr, quòd victimæ adhuc viuæ priusquàm mactarentur, abluebantur per Nathinæos in piscina Siloah natatoria.

r *Iosue cap.9.*

s *Pet. Martyr in 1 Reg.c.7.*

Cap. 7.

De Nazareis.

NAzaræi, de quibus jam dicendum, de quâcunq; sorte hominum esse poterant, quos (eò quòd se totos Deo consecrabant) licebit mihi in album sacratarum personarum scribere, quamvis ex virtute voti non tenebantur ad quodvis opus tabernaculi. Horum consecrationem & munera priusquàm attingamus, tollenda est homonymia, quâ vox laborat, vndè magnæ huic doctrinæ de Nazareatu offunduntur tenebræ. [t] Franciscus Iunius ex [u] Epiphanio docet quatuor fuisse genera Nazaræorum: Ego autẽ ea ad tria reducam. Primùm à Nazareth oppido Galilææ Nazaræi dicebantur: atq; hinc Christus, *Luc.4.* Ναζωραῖος & Ναζαρηνὸς est denominatus, & per circumlocutionem dictus ὁ ἀπὸ Ναζαρέθ. [x] Et Christiani etiam ex professione fidei suæ in Iesum Christum Nazarenum, *Nazareni* & *Nazoræi* olim vocati sunt, & secta eorum *Nazarena*: Factum autem est, vt in actione illâ Antiochenâ Pauli cum Petro, *Gal 2.11.* multi ex his Nazarenis errori Petri pertinacitèr *adhærerent*, & palàm prædicarent legalium ceremoniarum observationem simul cum Evangelio Christianis esse necessariam: vel, vt vtar verbis [y] Hieronymi: *Ita Christum recipiebant, vt observationes legis veteris non amitterent:* rectè eos appelles *semi-Christianos*. Quod impium dogma cùm Antiochiæ primum invaluerit, verisimile videtur Francisco Iunio occasionem

[t] *Fran. Iunius. 1 lib. Paral. 8.*
[u] *Epiph. hæres. lib.1. Tom.2.*
[x] *Epiphan. ibid.*
[y] *Hieronymus Isaiæ, 8.*

nem Antiochenæ ecclesiæ iam oblatam, vt viri boni se non ampliùs *Nazarenos*, sed *Christianos* potiùs appellarent, *Act*,11.26. Quinetiam hi Nazareni maximum habuerunt sententiæ suæ hyperaspistem, defensoremq; Symmachum, celebrem illum Test. vet. interpretem, à quo posteà [z] *Symmachani* dicebantur. * Hos Iudæi in summo odio habent, eò quòd ex Iudæis ipsi cùm sint, prædicant Iesum Christum tamen: imò ter in die, manè, in meridie, & circa vesperam, quando preces perficiunt in Synagogis, detestantur ipsos, atq; execrantur, dicentes, *Maledic Deus Nazoræis*. Secundum genus est eorum, qui rescinderent & dispungerent totam scripturam veteris testamenti, vnde [a] Epiphanius eos exponit ἀφανιστὰς. Tertium genus est eorum, qui legalibus certis ceremonijs seipsos consecrabant Domino. Quamuis ex affinitate vocum error abijt in vulgus, & iam obtinuit, vt omnes promiscuè Nazaræi sivè Nazareni dicerentur: apud accuratos tamen, quod rectè animaduertit author noster, hæc tria genera suâ certâ & peculiari scriptione distinguuntur. Primi generis Nazaræos scribi oportere *Nazoræos* vel *Nazarenos* ab oppido *Nazareth*: secundi generis *Nasaræos*, ab Hebræo *Nasar* נסר, quod significat abolere & rescindere: tertij *Naziræos*, ab Heb. *Nazar* נזר, quod est separare, contendit ille. Ex his tribus generibus vltimum solummodò pertinet ad hunc locum. Naziræi igitur erant illi, qui se separabant à vulgo hominum, certo vitæ generi ad certum tempus semet spontaneo voto astringentes. *Votum* hoc appellatur *Magnum*, inquit [b] Philo, eò quòd oblatio non fit de primitijs, non de decimis,

z *August.li.*19. *contra Faustum Manichæum.*

* *Epiph.Hæres. lib.*1.*tom.*2.

a *Epiph.lib.*1. *contra Hæres. tom.*1.

b *Philo in lib. de Sacrif.*

decimis, nec de re aliquâ externâ, sed de seipso. Quùm igitur vir aut mulier vltrò se mancipâsset Deo, & votum Naziræatus nuncupâsset, leges illas omnes à Deo præscriptas, *Num. 6.* obseruare debuit. Prima pertinebat ad victus rationem: nè bibat vinum, aut siceram, aut quicquam quod inebriare possit: nō etiam comedat vuas sivè recētes, sivè arefactas, aut rem quamlibet ex vite factitiam: erant enim hæc omnia libidinis incentiua. Secunda ad habitum; nè pilos capitis radat, sed comam alat vsq; ad finem persoluti voti: Cæsaries enim in viris erat signum fortitudinis & roboris. Tertia ad actiones; nè se contaminet in mortuis, vel ingrediendo domum mortui, vel prosequendo funus ejus: erat enim legalis quædam impuritas interesse funeribus. Sed quia fieri potuit hominem voti hujus reum maculari imprudentèr, & nullo facto suo, propterea Deus lege casui prospectum voluit: Ac primum casu ejusmodi pręcepit Dominus, vt sex diebus immundus habeatur, septimo radatur, octavo offerat ad Sacerdotem duos turtures, aut duos pullos columbæ, alterum in sacrificium pro peccato, alterum in holocaustum: Illis oblatis, priores dies Nazirę atus sui pro irritis habeat, & de integro votum servare incipiat: postremò verò, reatus nomine agnum anniculum offerat, vt aptus habeatur ad voti redintegrati observationem. Quarta lex spectabat ad complementum, vt post completum tempus Naziræatus sistat se ad ostium Tabernaculi, adductis secū duobus agnis, vno in holocaustum, altero in hostiam pacificorum; & ove in sacrificium pro peccato, adductis etiam panibus, & laganis azymis oleo vn-

ctis, cum libaminibus in ſacrificium dapale: Quibus ante conſpectum Domini poſitis, abradat comam capitis & barbæ, quam tempore Naziræatus aluerit, & concremandam det ſacerdoti, in ſacrificio pacifico ſivè retributorio. Atq; hoc cùm factum ſit, liber ſit, & ad victum priſtinum alijſq; communem redeat. Animadvertendum autem, quòd erat item aliud Naziræorum genus, qui ſcil: non ad certum aliquod tempus, quo effluxo, voto ſoluebantur, ſed ab ipſo vtero vſq; ad finem vitæ, legem Naziræatus obſervabant. Hi *perpetui* erant, illi, de quibus ſuprà, *temporarij*. Hi à Deo *imperati*, vt olim Sampſon, *Iud. 11.* illi *votivi*, qui vltrò ſe ſponderent Deo.

LIB.



LIB. 3.

DE MISCELLANEIS.



Væ restant de *sectis* Judæorum, de *re vestiariâ, Iudicijs* & *mensuris* dicenda, in vnum congessi librum, cui ob *miscellos* & confusaneos in eo tractatus, *Miscellaneorum* titulum præfixi. De his autē dicturi sumus suo ordine, orsuri à sectis, in quas populus hic vltimis temporibus erat divisus. Has autem quatuor fuisse meminit [a] Iosephus: *Pharisæorum*, *Sadducæorum*, *Essenorum*, & eorum, qui autore Judâ Galilæo exorti sunt tempore census.

a Lib. 18. antiq. cap. 2.

CAP. 1.

De Pharisæis.

PHarisæi ab Hebræo *Phares* nomen sortiuntur, quę dictio significat tùm *interpretari*, tùm *separare*: vndè plurimi eos sic dictos volunt, quasi [b] *interpretes* & *expositores* sacrarum literarum. [c] Non desunt autem, quibus visum est eos potiùs sic dici à *separatione*, vel dissidio: quoniam à vulgari ordine *segregati*, proprium sibi gradum vendicabant. Verisimilior tamen est prior opinio, quoniam putabantur illi

b Ioseph. de bello lib. 2. cap. 7. Iansen. concor. Evang. cap. 13. Pet. Martyr. loc. comm. class. 3. cap. 15.

c Hieronym. advers. Luciferianos. Toletus in Io. vn. cap. 18. Epiph. lib. 1. hæres. Tom. 1.

præ reliquis posse latentem sensum in sacrâ paginâ eruere: nec contenti simplici literâ, clavem se habere jactabant, ad eliciendos arcanos & abditos sensus, eóq; eorum impia libido tandem crevit, vt sua ipsorũ figmenta in scripturæ locum superciliosè obtruderent. Quamvìs gravitèr errârunt in præcipuis doctrinæ cœlestis capitibus, nonnulla tamen capita doctrinæ sanæ amplectebantur, ex quorum numero hæc fuerunt. Esse Deum, & quidem vnum: venturum esse Messiam, & multa beneficia in genus humanum collaturum: Semen Abrahæ esse ecclesiam Dei: Animas cum corporibus non interire: Futuram esse resurrectionem, in quâ vnusquisq; secundum quæ operatus est, accipiet, & similia. Errores autem quos mordicùs tenebant, graves admodùm fuerunt. Nam vnum esse verum Deum, & vnicam personam crediderunt, *Ioan. 8* Doctrina de expectatione Messiæ apud illos recepta erat, & vix quempiam Iudæorum latebat; erat enim de plebe quæ dicebat: *Scimus quòd veniet Messias. Ioan. 4. 25.* At hunc humanâ tãtũ naturâ habiturũ putârũt, nec de aliâ, quã de corporalis regni restauratione somniârũt. Ex Pharisęorũ schola profectũ fuit, quòd mater filiorũ Zebedęi ad Christũ dixerit: *Iube ut sedeant isti duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & alter ad sinistram in regno tuo.* Proram & puppim obedientiæ legi divinæ præstandæ in externis quibusdã ritibus ponebant, vnde crebris illis lotionibus vtebantur, quibus non corpora, sed etiam vasa abluere solebant, quasi ipsorum etiam animæ ipsis possent purificari. [d] Quædam, sed tamen non omnia fatuo Stoicorum fato tribuebant, ita tamen vt hominum libe-

d *Ioseph. de bello l. 2. c. 7.*

liberum arbitrium non tollerent, docentesq; Agere quæ justa sunt, vel negligere, in hominis esse potestate; adjuvare tamen in singulis nonnihil Deum & fatum. Hinc præcipuus illorum error enatus est, vt rejectâ gratiâ Dei, & suæ ipsorum justitiæ tanquam baculo arundineo innixi, suorum meritorum scalâ aditum se habituros in cœlum putarent. Erant autē superstitiosi in omnibus externis ritibus, vt singularem sanctimoniæ opinionem apud vulgus concitarent. Cum publicanis & peccatoribus nō sumebant cibum: orationes crebras, easq; longas mussitabant: peregrinationes terrâ mariq; suscipiebant, vt proselytum facerent; omni de re decimabant: lectitantes illud *Deut. 6. Ligabis ea in manu tua, & movebuntur super oculos tuos*, hoc Pharisæi malè interpretantes, inquit [e]Hieronymus, scribebant in mēbranis decalogū Mosis. i. decem verba legis, complicantes ea & ligantes in fronte, & quasi coronā capiti facientes, vt semper ante oculos moverentur: Ea etiā gestabāt in brachio sinistro, quod multi alij testātur. Hęc chartacea munimenta *Phylacteria* vocabant, [f]quòd quicunque ea habuisset, quasi ob suam custodiam & munimentum ea haberet: vndè [g] Illyricus ea rectè vertit *conservatoriā*. [h]erant autem coloris purpurei. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ, inquit Hieronymus, in parvulis Evangeliis, & in crucis ligno, & istiusmodi rebus vsq; hodiè factitant: quæ, vt idem asserit, zelum Dei habent, sed non juxta scientiam. Ex hac ipsa superstitione credit Illyricus fluxisse morem illum, quòd nunc quoq; in papatu, aliqui initiū evāgelij Ioannis in membranula descriptum de col-

e *Hieron. super Mat. 23.*

f *Hieron. loc. allegat.*

g *Illyric. in clau. script. vid. Phylacteria.*

h *Epiphan. hæres. lib. 1. Tom. 1*

lo appensum gestant, nihil non sibi boni inde pollicentes. Item ex eo, quòd Moses *Num. 15.* jusserat Israëlitas in pallijs suis hyacinthinas fimbrias facere, vt hujusmodi pallio tanquam symbolo aliquo dignoscerentur ab alijs gentibus, hinc superstitiosi hi magistri aucupantes auram popularem, fimbrias protrahebant, & oris earum spinas affigebant, quarum assiduis punctionibus inter eundum, memores mandatorum Dei fierent. Quod docent nonnulli de ortu Pharisæorum, eos nimirùm vnà cum Scribis originem traxisse ex Sammai & Hillel, quos duos volunt scholam aperuisse in Judæa, non multo ante adventum Christi, nequaquam verum est: Nec [i] Hieronymus quo teste in hac re vtuntur, de sua, sed de fide aliena, idq; Nasaræorum hæreticorum hæc narrat. Certissimum item est, Scribarum, pariter & Pharisæorum sectas non adeo fuisse recentes, vt paulò ante Christi adventum dici queant cœpisse. [k] Iosephus Pharisæorum meminit, vt & Sadducæorum, & Essenorum in rebus Jonathæ Assamonei, annis ante nativitatem Christi nimirùm 140. Idem [l] Josephus affirmat tres illas sectas, vel, vt ipse appellat φιλοσοφίας, cognitas fuisse Iudæis ἐκ τῶ πάνυ ἀρχαίων, à temporib[us] admodũ antiquis: Et de scribis nouimus mentionẽ frequentẽ fieri in vet. testamento: Et verisimilius est, quòd suprà scriptũ est in cap. penultimo lib. præcedentis, scribas habuisse suam institutionem ab ipso Dauide. Quinetiam [m] ex libris Thalmudicis constat, Pharisæos ipsos in septem sectas fuisse diuisos. Erat enim *Pharisæus Sichemita*, qui sectam hanc ob carnale aliquod commodum susciperet, sicut *Sichemi-*

[i] *Hieronym: in Isaiam, cap. 8.*

[k] *Ioseph. antiq. lib. 13. cap. 9.*

[l] *Ioseph. antiq. lib. 18. cap. 2.*

[m] *Iansen. concord. Euangel: cap. 13.*

tæ olim circumcisionem ob nuptias Dinæ impetrandas: *Pharisæus impingens*, quòd pedibus subinde in lapides impingeret, quasi totus cogitabundus viæ fuisset oblitus. *Pharisæus sanguinem effundens*, qui caput crebrò parietibus aut columnis illideret, donec multus manaret sanguis. *Pharisæus mortarius*, quoniam calyptrâ caput opertus esset, ex quâ velut ex profundo mortario, prospiceret prorsùm tantùm & deorsum, non sursùm neq; ad latera. *Pharisæus quid debeo facere & faciam illud*, qui inanis glorię causâ his verbis vteretur. *Pharisæus ex timore*, qui metu iræ diuinæ huic sectæ nomen daret. Et *Pharisæus ex amore*, qui forsan Pharisæis adhæreret, ob opinionem eximiæ sanctitatis, quam hæc secta præ se ferebat.

CAP. 2.

De Sadducæis.

RAbbi Abraham in Cabala historica, [n] docet *Sadducæos* nomen suum accepisse à *Sadoc* Antigoni discipulo, qui cùm defecisset ad templũ montis Garizin, à Manasse inter Samaritas constructum, Alexandro Magno regnante hæresim intulit Sadducæorum. Non desunt alij plures, quibus item videtur hoc nomẽ ab hæresiarcha illo fuisse inditum: sed si quid suffragijs debeatur, longè plures sunt, qui putant eos sic dictos ab Hebræa voce *Sedec* significante justitiã. [o] à Dositheo quodam Samaritanorum principe, qui prophetas repudiauit, hauserunt multos errores; vnde & ipsi solùm quinq; libros Mosis recipiebant, reiectis vaticinijs prophetarum: nec Angelum,

n *Vid. Carol: Sigon. de rep: Heb. lib. 5. c. 11.*

o *Hieronym: contra Luciferianos. Epiphan: hæres. l. 1 tom. 1.*

lo appensum gestant, nihil non sibi boni inde possi-centes. Item ex eo, quòd Moses *Num. 15.* jusserat Israëlitas in pallijs suis hyacinthinas fimbrias facere, vt hujusmodi pallio tanquam symbolo aliquo dignoscerentur ab alijs gentibus, hinc superstitiosi hi magistri aucupantes auram popularem, fimbrias protrahebant, & oris earum spinas affigebant, quarum assiduis punctionibus inter eundum, memores mandatorum Dei fierent. Quod docent nonnulli de ortu Pharisæorum, eos nimirùm vnà cum Scribis originem traxisse ex Sammai & Hillel, quos duos volunt scholam aperuisse in Judæa, non multo ante adventum Christi, nequaquam verum est: Nec [i] Hieronymus quo teste in hac re vtuntur, de sua, sed de fide aliena, idq; Nasaræorum hæreticorum hæc narrat. Certissimum item est, Scribarum, pariter & Pharisæorum sectas non adeo fuisse recentes, vt paulò ante Christi adventum dici queant cœpisse. [k] Iosephus Pharisæorum meminit, vt & Sadducæorum, & Essenorum in rebus Jonathæ Assamonei, annis ante nativitatem Christi nimirùm 140. Idem [l] Josephus affirmat tres illas sectas, vel, vt ipse appellat φιλοσοφίας, cognitas fuisse Iudæis ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου, à temporib' admodũ antiquis: Et de scribis nouimus mentionẽ frequentẽ fieri in vet. testamento: Et verisimilius est, quòd suprà scriptũ est in cap. penultimo lib. præcedentis, scribas habuisse suam institutionem ab ipso Dauide. Quinetiam [m] ex libris Thalmudicis constat, Pharisæos ipsos in septem sectas fuisse diuisos. Erat enim *Pharisæus Sichemita*, qui sectam hanc ob carnale aliquod commodum susciperet, sicut *Sichemi-*

ta

i *Hieronym: in Isaiam, cap. 8.*

k *Ioseph. antiq. lib. 13. cap. 9.*

l *Ioseph. antiq. lib. 18. cap. 2.*

m *Iansen. concord. Euangel: cap. 13.*

tæ olim circumcisionem ob nuptias Dinæ impetrandas: *Pharisæus impingens*, quòd pedibus subinde in lapides impingeret, quasi totus cogitabundus viæ fuisset oblitus. *Pharisæus sanguinem effundens*, qui caput crebrò parietibus aut columnis illideret, donec multus manaret sanguis. *Pharisæus mortarius*, quoniam calyptrâ caput opertus esset, ex quâ velut ex profundo mortario, prospiceret prorsùm tantùm & deorsum, non sursùm neq; ad latera. *Pharisæus quid debeo facere & faciam illud*, qui inanis glorię causâ his verbis vteretur. *Pharisæus ex timore*, qui metu iræ diuinæ huic sectæ nomen daret. Et *Pharisæus ex amore*, qui forsan Pharisæis adhæreret, ob opinionem eximiæ sanctitatis, quam hæc secta præ se ferebat.

CAP. 2.

De Sadducæis.

RAbbi Abraham in Cabala historica, [n] docet *Sadducæos* nomen suum accepisse à *Sadoc* Antigoni discipulo, qui cùm defecisset ad templũ montis Garizin, à Manasse inter Samaritas constructum, Alexandro Magno regnante hæresim intulit Sadducæorum. Non desunt alij plures, quibus item videtur hoc nomẽ ab hæresiarcha illo fuisse inditum: sed si quid suffragijs debeatur, longè plures sunt, qui putant eos sic dictos ab Hebræa voce *Sedec* significante justitiã. [o] à Dositheo quodam Samaritanorum principe, qui prophetas repudiauit, hauserunt multos errores; vnde & ipsi solùm quinq; libros Mosis recipiebant, reiectis vaticinijs prophetarum: nec Angelum,

gelum,

n *Vid. Carol: Sigon. de rep: Heb. lib. 5. c. 11.*

o *Hieronym: contra Luciferianos. Epiphan: hæres. l. 1 tom. 1.*

gelum, nec spiritum, nec resurrectionem corporum credebant, animas simul cum corporibus interire prę-dicabant, [p] Spiritum sanctum ignorabant, & in plę-risq; falsis dogmatis cum Samaritis conueniebant, teste [q] Epiphanio. Non timore poenæ, nec futuri alicuius præmij spe, sed propter ipsam justitiam, justitiæ studendum esse docebant. Non autem pętereundum videtur, quòd inter Pharisæos & Sadducæos magnę lites subinde incalescebant: illi enim traditionibus nō scriptis, quas δευτερώσεις Gręci appellârunt, pertinacitèr adhærebant; hi autē omnē fidē his derogantes, nudo cortici legis quemadmodùm à Mose scripta erat, immorabantur. Et tamen simul suas contra Christum aliquoties coniunxerunt operas, & quod fit, qui aliter mutuis inter se exarserunt odijs, jàm mutuas nauârunt operas, idq; strenuè, vt veritatem supprimerent.

p *Hieronym: in Mat.* 22.

q *Epiphan. hær. lib.* 1. *tom.* 1.

CAP. 3.

De Essæis siue Essenis.

PRæter prædictas sectas inualuit etiam alia, quæ dicebatur Essenorum, qui nomen suum acceperunt à vocabulo [r] *Ascha*, quod est *facere*. Iusti admodum erant, & manibus suis operabantur, vt inde viuerent, ac etiam egenis subuenirent, perinde ac si vocaremus eos *operarios*. Hallucinantur illi, qui Essæos appellatos volunt quasi ὁσίους, i. *sanctos*: quia Hebræorum nominum etymologiæ non sunt à Græcis petendæ. Rectè putat [s] Casaubonus ille de rebus antiquis meritissimus, Ossenos ab Essenis non fuisse diuersos:

r *Pet. Martyr. loc. commun. in class.* 3. *cap.* 15.

s *Casaubon. Exer.* 1. *ad Baron. Annal.* 9.

uersos: si enim antiquas memorias excutiamus, non inueniemus satis idoneam causam, cur [t] Epiphanius illos distinxerit; imò verò si Iosepho, cui hac in re maior debetur fides, credendum, errat ipse Epiphanius in tractatu suo de Essenis, dum illos Samaritas fuisse asserit, non Judæos; nam tertiam sectam apud Iudæos, hanc Essenorum fuisse multis in locis ostendit [u] Iosephus. Facultates in commune possidebant, nec quispiam in illorum cohortem recipiebatur, nisi qui in medium daret illud quod haberet pecuniæ; nec aliquis diues magis suis vtebatur bonis, quàm quivis è pauperrimis. Non erat illis vna ciuitas certa, sed in singulas multi domicilia conferebant, & aliundè aduenientibus sectę suæ professoribus, quicquid habebant, sine mora exhibebant quasi proprium. Cùm primùm ad Philosophiã se contulissent, à cognatis & re suâ familiari recedebant, & aliquoties in desertis agris, aut hortis, aut montibus degebant. In vnoquoq; cœtu erat ędes sacra, quam σεμνεῖον vocabant & μοναστήριον, in qua soli sanctæ vitæ mysteria peragebant, leges, oracula vatum, & hymnos, cæteráq; quibus scientia & pietas augerentur perficientes. In enarrandis sacris oraculis, arcanos sensus per allegorias eruebant. Omnem legem animanti similem censebant: cujus *corpus* τὸ ῥητὸν, verborum *cortex*: *anima* verò, *sensus* obscurus sub verbis delitescens. In singulis autem ciuitatibus, ex eodem cœnobio specialis *curator hospitum* constituebatur, qui eorum vestimenta, cæteráq; vsui necessaria tueretur. Ante solis ortum nihil profani loquebantur, sed ei patria quædam vota celebrabant, quasi, vt

[t] *Epiph. hæres. lib. 1. tom. 1.*

[u] *Ioseph. lib. 13. antiq. cap. 9. It: lib. 18. cap. 2.*

oriretur, precantes: deinde ad quas venerunt singuli artes, à curatoribus dimittebantur, cùmq; ad horam * quintam studiosè fuissent operati, rursus in vnum congregabantur, linteisque præcincti velaminibus, corpora aquis frigidis abluebant: ipsiq; in cœnaculum, velut in sanctum quoddam templum conueniebant, quibus cum silentio discumbentibus, pistor quidam panes ordine, vnum item vasculum ex vno pulmento singulis cocus apponebat: Deinde sacerdos mensam consecrabat, & gratiarum actione prandium pariter claudebat: Neq; verò clamor vnquam tectum illud inquietabat, cùm etiam loquendi ordine alijs alij cederent, eorumq; silentium extra tectum constitutis, arcanum quoddam videretur honorabile. Quamvis aliquarum rerum nihil sine præcepto *curatoris* fecerunt, tamen in juvando & subueniendo sui erant juris. Nam subuenire dignis cùm opus esset, cuiq; pro arbitrio licebat, solummodò interdictum erat, absq; curatoribus cognatis dare aliquid. * *Quæstores* creabant probos viros ex ˣ sacerdotum numero, qui ex agrorum reditibus & frugum proventu cibos eis cōficerent.

* *Hora quinta apud illos erat eadem, quæ apud nos undecima.*

* *Quæstores illos referunt in Collegijs nostris illi quos appellamus Bursarios.*
x *Ioseph. antiq. lib.*18. *cap.*2.
y *Ioseph. de Bello lib.*2. *cap.*7.

Sectæ hujus studiosis ʸ non statim cum eis vna collectio: sed per annum integrum extrinsecùs commoranti cuiq; eundem victus ordinem tribuebant: dolabram quoq; & perizoma, & albam vestem tradentes. Cùm verò processu temporis experimentū continentiæ dedisset, accedebat ad *communem cibum*, non tamen in *convictum* assumebatur, inquit Iosephus. i. me interprete, ijsdem vescebatur cibis cum senioribus Essæis, nec illis, quàm huic benignius * *dimen-*

* τὸ [illegible] *Angl.* A commons.

mensum.(vt loquuntur)dabatur;sed hi nondum illum communicabant suâ ipsorum mensâ : nam primo probationis suæ anno effluxo, duobus annis alijs mores ejus probabantur, adeò vt dici quidem possit †*Probaticus triennalis.* Cùm tandem satis longum continentiæ suæ & morum specimen dedisset, tum demum in consortium assumebatur. Prius verò quã inciperet communem habere cibum, magnis execrationibus adjurabat, se primùm quidem Deum culturũ, deinceps verò erga homines servaturũ justitiã, & neque propriâ sponte, neq; ex præcepto obsuturum cuiquam : quinimò iniquos omnes osurum, & collaboraturũ semper justitiæ sectatoribus, fidẽ omnibus servaturũ, maximè verò principibus; si verò contigerit vnquam, vt ipse reliquis præesset, nunquam se abusurum viribus potestatis ad contumeliam subjectorum; sed neq; veste, aut ambitioso ornatu aliquo antecessurũ reliquos, veritatẽ semper dilecturũ, & habiturũ propositũ cõvincẽdi mentientes. Hujusmodi sacramẽtis & ritibus obligabant, & quasi præmuniebant accedentes; deprehensos verò in peccatis, à sua cõgregatione depellebãt: & cuicũq; talis pœna irrogabatur, inediâ plerunq; & fame confectus erat, nam cibum illi non darent, ab alijs capere oblatum nefas erat, solummodò licebat herbas more pecudum decerpere. Qui pleniorem cupit cognitionem de horũ moribus & institutis, consulat [z] Iosephum, & [a] Philonem, è quibus hæc desumpta sunt.

† *Angl.* A three years probationer

z *Joseph. antiq. lib.* 18. *cap.* 2. *Idem de bello* 2. 7.

a *In lib. inscript. Omnis probus liber.*

CAP. 4.

De Gaulonitis.

b *Ioseph. antiq. lib.* 18. *cap.* 2.
c *Car. Sigon. de rep. Heb. lib.* 5. *c. vlt.*

DE quarta secta Judæorum meminit [b]Josephus, quos interpretes appellârunt *Gaulonitas*: horũ enim hujusmodi erat origo. [c] Cæsar Augustus sublatis vectigalibus, tributa ordinaria in caput & agros indixit, atq; ob id totum censeri orbem Romanum instituit, ita vt Judæam etiam, quam Herodi regi à se appellato subjecerat, censeri, ac tributum in caput pendere jusserit. Quo facto, [d] Judas quidam Galilæus extitit libertatis assertor, qui solum Deum Dominum habendum & principem constantissimè prædicabat, & reliquos, quos poterat, hortabatur, collum tam gravi jugo detrectare, & solicitabat populum, ne solueret censum Cæsari. Huic qui adhæserunt Gaulonitæ dicti sunt: in cæteris omnibus cum Pharisæis consenserunt. Nomen acceperunt à primo autore seu capite factionis, [e] qui idem dicebatur Judas Galilæus, & *Judas Gaulonites* propter diversas causas.

d *Ioseph. loco allegato.*

e *Casaubon. exer. ad annal. Bar.* 2, 18.

CAP. 5.

De Hemerobaptistis & Herodianis.

f *Epiph. lib.* 1. *tom.* 1.

[f] EPiphanius tres alias subnectit sectas, *Nazaræorum* scil: de quibus supra dictum est: 2° *Hemerobaptistarum*, qui quotidiè *baptizabantur*, vnde nomen acceperunt. Senserunt enim (vt habet Epi-

Epiphanius) aliter nō posse hominem vivere, nisi singulis diebus in aqua mergeretur. In qua locutione animadvertendus est error typographicus; deest enim vox ἁγίως, quod primus observavit [g] Casaubonus, ita vt sentirent hominem non posse aliter vivere *sanctè* & *purè*. Illos putâsse neminem aliter posse vivere, nemo temerè mihi persuadebit; nō enim reliquos mortalium, qui hujusmodi lotione minimè vtebantur, emortuos stipites putabant. Tertia secta erat *Herodianorum*: hi, inquit Epiphanius, putabant *Herodem* fuisse Messiam illum in omnibus scripturis, lege, ac prophetis promissum. In eam sententiam alij multi descenderunt, sed nullâ satis justâ causâ nixi. Si enim concedatur hoc genus hominum fuisse Iudæos, quod Epiphanius concedit; quî fieri potest, vt illi, vtpote agnoscentes Messiam è stirpe Davidica oriundum, hominē alienigenam pro Messia colerent? quod autem Herodes erat alienigena nemo veterum est, qui negat. Bahal Aruk, vt observat doctissimus [h] Casaubonus ex Drusio, putavit hos fuisse Græcos quosdam, nescio vnde ab Herode è deserto adductos, in cujus honorem instituerunt consuetudinem, & institutum religionis. [i] Iansenius autumat eos fuisse seruos quosdam & milites, qui sub Herode meruerant. Sed omnium harum verisimilior est [k] Hieronymi sententia: Hos ille dicit fuisse sectam quandam Iudæorum, qui contra Pharisæos assererent tributa Cęsari soluenda. Doctissimus noster [l] Calvinus videtur huic sententię favisse, quando appellat hoc genus hominum *Aulicā sectam*, qui scil: ad majorem gratiam ineundam cum *Herode*, religionem *Herodianam*, adulterinam licèt, totis viribus defendebant.

g *Casaub. exer. ad Annal. Bar.* 1.9.

h *Casaub. exer. ad Annal. Bar.* 1.5.

i *Iansen. in conc. Euang. cap.*38.

k *Hieron. super Mat.*22.17.

l *Caluin. Harm. Euang. Matth.* 22.16.

CAP. 6.

De re vestiaria.

DE re vestiaria tractaturi, postulat ratio, vt ordiamur ab illis vestimentis, quæ erant vniversi populi Hebraïci communia, postmodùm de sacerdotalibus dicturi. Quamvìs in his politioribus seculis mos inoleuit, plures simul, easq; duplices induere vestes: majores tamen nostri aliquot retrò seculis, vnâ exteriori, alterâ interiori diu vixerunt contenti. Et quemadmodum Græci suum *pallium* quod *ἱμάτιον* appellârunt, & *χιτῶνα* i. *interulam*: Romani suã *Togam*, & *Tunicam*: Sic Hebræi vestem *exteriorem*, & *interiorem* prioribus non absimiles solebant gestare: Illam vocabant מעיל *Mehil*, alteram כתנת *Cetonet*. In communi vsu majorem omnem vestem, præter has duas, prisca ętas ignorabat, majorem inquam; homines enim ab initio habuisse linteamina quædã quibus verenda tegerent, non ibo inficias. Exterior vestis Hebræorum erat ampla, non multùm dissimilis pallio Græcorum,[m] quod constabat quatuor pãnis certo modo inter se junctis, quam ob causam passim Græcis *τετράγωνον ἱμάτιον quadrangula vestis*, sive quadrata appellatur. Hujusmodi fuisse vestem illam Christi in quatuor partes divisam, verisimile videtur Casaubono. Factam fuisse solutam, sine manicis, quâ totum corpus amiciebatur, communem Sacerdotum & principum, virorum & fæminarum, putabat[n] Arias Montanus; Mihi autem necesse videtur aliquod

m *Casaub. exer. ad annal. Bar.* 16.84.

n *Ariæ Mont. Aaron.*

aliquod discrimen ponendum, inter mulierum & virorum vestitum, eò quòd o lex prohibuit virum indui vestitu muliebri, & sic è contra. Tunicam interiorem, quam subuculæ loco gestabant, manuleatam fuisse, justis de causis putatur: manicę enim, non solùm munimen aptum erant contra inclementiam cœli, sed etiam honestum quoddam operimentum nuditatis, quæ aliter apparuisset in brachijs; non laxa autem, sed corporibus astricta erat, quò posset quisque sua absoluere opera expeditiùs & minori impedimento. Hujus rei nobis fidem facit p Hieronymus in tunica sacerdotali: & in reliquis tunicis eundem morem fuisse obseruatum, tritum illud verbum, *Lumbos accingere*, nos docet. Consilium enim Domini aliud non erat, cùm Apostolos & alios doctores lumbos præcinctos habere præciperet, quàm vt essent expediti, & parati ad sua obeunda munera. Et hanc ob causam q *discincti*, qui longis, laxis, & fluctuantibus induebantur tunicis, pro *ignavis* semper habiti erant. Operæ pretium me facturum arbitror, si hîc ostendero, quâ arte, vtrùm textoriâ an sartoriâ vestes Judaïcę confici solebant? In tanta antiquitate si quis conjecturæ erit locus, arbitror indumentũ illud exterius fuisse, saltẽ proximis seculis ante aduentũ Christi, acu sartoris consutum; an ita fuerit ab initio, non ausim dicere. Nam vox *sartor* sive *sarcinator*, denotat potius laceri, & detriti vestimenti refectorem, quàm novi confectorem: de arte sartoriâ item, apud antiquos autores non memini me legisse, de textoria legitur passim historiarum: vnde verisimile mihi videtur, aut eosdem qui erant textores etiam sartores fuisse,

o *Deut. 22. 5.*

p *Hieron. ad Fabiol. de veste sacerdot.*

q *Alex. Gen. dier. lib. 1. cap. 20.*

fuisse, qui tamen à præcipua parte sui artificij dicebantur textores; aut certè longè aliam fuisse olim vestimentorum rationem, quàm sit hodiè; nimirùm quòd non solùm pannus, sed vestimentum ipsum à textoribus absoluebatur. At verò ante aduentum Domini nostri Jesu Christi certissimum est vtramq; artem inualuisse, ita vt nisi dissimilis esset ratio vestitus in reliquo populo, quàm in Christo, manet quòd modò diximus, pallium illud exterius fuisse *sartorium*: tunicam autem subuculæ loco gestatam, *textoriam*. Hoc discrimen potest facilimè elici ex ipsis Evangelistis, qui cùm verba faciant de pallio Christi, quod more Hebræorum per enallagen numeri vocant *vestimenta*, & de tunica, Tunica, inquiunt, erat *inconsutilis, à summo contexta per totum*: quasi pallium esset opere sartoris *consutum*, *& non contextum*: Locutio enim videtur mihi fuisse διακριτική. Restat autem nodus hîc expediendus. Nondum convenit apud interpretes, quomodò manuleata tunica, vel ipsa foramina, per quæ brachia exererentur, sine opere sartoris fieri possent: Multorum sententijs hac de re enumeratis, & non injuriâ rejectis à doctissimo [r] Casaubono, suam ipsius tandem subnectit, in qua nihil pro certo asserit, sed rem in medio relinquit. Verba ejus hæc sunt. Est hodiè in vsu genus quoddā operum laneorum, binis * *prælongis acubus* factorum, cujusmodi sunt tunicæ nocturnæ, tibialia quæ à stamine vocantur, item alia; quorum operum confectio si fuit veteribus nota, nullum est dubium Domini hanc tunicam fuisse eo artificio confectam. Sed quoniam in re tam dubia nihil non dubium potest proferri

r *Casaub. Exer. ad annal. Bar.* 16.84.

* *Acus intelligit nexiles. Angl.* Knitting Needles.

ferri, his missis, de sanctis vestibus, quibus sacerdotes rem divinam facturos indui oportebat breviter dicemus. Earum omnium nomina habentur, *Exod. 28. 4.* *Pectorale, Ephod, Tunica, linea stricta, cidaris, & Baltheū.* Anglicè a Brest-plate, an Ephod, a Robe, a Broydered coat, a Miter, and a Girdle. Horum ornamentorum ratio plenius ex ipsa eorum descriptione, quàm ex nominibus cognosci potest. Nos hîc inverso ordine, dicemus primùm de vestibus illis, quæ erant cōmunes sūmo sacerdoti vnà cū reliquis; postmodùm dicturi de ijs, quæ erāt sacerdotis summi propriæ & singulares. Tres erant cōmunes, *Linea stricta, Baltheus, & Mitra.*

Linea stricta erat ποδήρης .i. talaris, duplici syndone, quam & ipsam Josephus *byssinam* vocat.[f] Hæc adhærebat corpori tam arctè, & manicis ita strictis, vt nulla omnino in veste esset ruga, & vsq; ad crura descenderet. Eadem ipsa linea appellatur ab alijs, *tunica byssina*, & *tunica tessellata*, eò quòd erat pluribus figuris variata, more *scutulatarum vestium* apud Romanos. Ob id ipsum [t] Arias Montanus eam appellat *ocellatam*, quoniā texta erat, vt oculorū figuras continuis contiguisq; ordinibus referret. Ejusmodi formâ erat (inquit idē Arias) quâ *talaris* Romanorum *stola.*

f *Hier. ad Fab. de veste sacerd.*

t *Arie Mont. Aaron.*

Baltheum erat cingulum [u] in similitudinem pellis colubri, quâ exuit senectutem: sic in rotundum textū, vt marsupium longius putares. Textum erat subtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & stamine byssino ob decorem & fortitudinem, atq; ita polymitâ arte distinctum, vt diversos flores & gemmas, artificis manu non textas, sed additas arbitrareris. [x] Hoc solùm lineam tunicam de qua modò diximus, vt rectè Hiero-

u *Hieron. loco allegato.*

x *Glossa Ordin. Exod. 28.*

rony-

y Joseph. antiq. lib. 3. cap. 8.

ronymus, constringebat. y Erat digitos quatuor latum, quod semel atq; iterum circa pectus revolutum ad talos vsq; defluebat, tantisper dum sacerdotes à sacris feriabantur: Cùm verò sacris esset ministrandū, ne ventilatum esset impedimento, super humerum lævum reijciebatur. z Ejus extremitates erant decentèr fimbriatæ. a Huic per omnia simile erat alterū cingulum Pontifici proprium, quo Ephod circumstringebatur, nisi quòd aurum erat illi intertextum.

z Glossa ordin. Ibid.

a Joseph. antiq. lib. 3. cap. 8.

Cidaris, quæ eadem *Mitra* & *Tiara* dicitur, erat pileus rotundus è bysso factus, non habens acumen in summo, nec totum caput tegens, sed tertiam partem à fronte inopertam relinquens: In occipitio vittâ cōstringebatur, nè fortè dilaberetur inter sacrificādum. *Hieronymus ad Fabiolam de veste sacerdotali.*

His addi possunt *fæminalia*, quæ Deus jussit fieri, *Exod. 28. 42.* His lineis fęminalibus, quæ (inquit Hieronymus) vsq; ad genua et poplites veniebant, verenda celabantur, et superior pars sub vmbilico vehementer constringebatur: vt si quando expediti mactarent victimas, etiamsi lapsi fuerint, non tamen pateret turpitudo.

Tria reliqua indumenta propriè pontificum erant, nimirum *Tunica*, *Ephod*, & *Pectorale*. *Tunicam* Hebræi vocârunt *Mehil*, quo nomine appellârunt vestem illam omniū cōmunem, de qua suprà dictū est: Eā *Pallio* Gręcorū, & *Togæ* Romanorū modò assimilabam⁹. Hanc igitur, quę erat Pontificum singularis, dixerunt * *Mehil Ephod*, quia scilicet Pontifices illi proximè superinduebant Ephod. b Erat hæc vestis Romanæ prætextæ formâ ferè similis, tunicâ strictâ breuior, ex

* The robe of the Ephod: or under the Ephod.

b Ariæ Mont. Aaron.

lana

lana hyacinthini coloris parata, formâ integrâ, nulloq; latere aperta, nisi quantum brachia caputq; admitterent, tota erat inconsutilis, orificium habens ad instar collaris, ac limbi loricæ antiquæ: Vocatur ab Hieronymo capitium, Hebræa vox significat *Labium*. Tota vestis mihi non videtur multùm differe, ab epitogio purpureo, illustri illo Doctoratus insigni, nisi quòd hoc fissuram palmarem habet à collari deorsum, vt faciliùs transmittat caput; Tunicæ autem huius collare firmum, omninóq; rotundum erat, non apertum aut fissum vlla ex parte. In infima eius parte habebat in circuitu alternatim dependentia malogranata, artificiosè ex varijs filis opere Phrygionico facta; & aurea tintinnabula. [c] Hieronymus docet septuaginta duo fuisse tintinnabula, & totidem malogranata. Tintinnabula hæc fuisse ad formam mespilorum conflata, tradit [d] Arias Montanus, cuiusmodi tintinnabula ex ære in vsu etiam hodiè sunt: Nullumq; tintinnabulorum genus, inquit, est, quorum alia alijs similiorem edunt sonum, quàm hoc, quod mespili refert fructum.

Ephod à præcingendo vel ambiendo dictum erat; ambibat enim humeros, tergum, & pectus. Latini interpretes *Superhumerale* & *Amiculum* vertunt. Hæc vestis erat [e] Græcanicæ epomidi similis: fortasse nō absimilis nostro sacerdotali sago, quod Angli vocant A Cassocke. Hujus autem non vnum genus; erat enim quoddam commune omnibus Leuitis; *Dauid amiciebatur Ephod lineo, cùm saltaret totis viribus coram Domino, 2.Sam.6.14.* Aliud erat singulare quod nulli gestare licuit, præterquam Pontifici: Illud fuisse sim-

c *Hieron. ad Fabiolam de veste sacerd:*

d *Ariæ Mont. Aaron.*

e *Joseph. antiq. lib.3.cap.8.*

plex & lineum; hoc autem ex hyacintho, bysso, cocco, & purpura confectum docet Hieronymus. Præstringebat fulgore oculos in modum * *Caracallarum*, inquit. Eius duæ partes fuere, anterior & posterior ad humeros coniunctæ, atq; in vtroque humero singuli lapides * onychini, vel, vt alijs placet, * smaragdini auro inclusi alligabantur. His lapidibus insculpta erant nomina 12. tribuum, vt essent memoriale coram Domino, quòd scil: Israëlitas in tutelam suam suscepisset. Huic vestimento quatuor annuli firmissimè assuti erant, duo in humeris sub illis gemmis, quas auro diximus inclusas: & duo inferiùs eâ parte, quâ baltheum accingebatur ad vtrumq; latus. Circa medium pectus lacuna quædam seu locus vacuus relinquebatur, cui inserebatur ornamentum alterum pectorale appellatum: de quo jam sermo nobis futurus est.

** Caracalla erat pretiosum quoddam genus vestis barbaricæ, quod Antoninus muneri dedit populo Rom: unde posteà illi nomen Caracallæ inditum.*

** Onychini dicti à colore vnguis, qui Græcè dicitur onyx.*

** Smaragdus à lucido virore dicitur, μαίρω Græcè luceo: additur σ velut in σμικρὸς pro μικρὸς, unde σμαράσσω & σμάραγδος.*

Pectorale, quod idem Græci λόγιον dicunt, & Latini interpretes Græcos secuti, *Rationale*, fuit ornamentum quadratum ex eadem materia confectum, quâ Ephod. Habuit magnitudinem palmi majoris per quadrum; [f] duplex erat, non simplex; ex vno latere, dextro videlicet apertum, quâ parte Vrim & Thummim (res quidem cujuscunq; naturæ fuerant, hominum artificio non factæ, sed divinitus Mosi datæ) inserebantur, ibidemq; servabantur, vt sacerdotis hærerent pectori; inde verò proferebantur, quoties divinum responsum petendum erat. [g] In expositione horum nominum variæ & discrepantes sunt sententiæ. Alij scripturam nominis tetragrammaton esse volunt. Alij nihil à gemmis illis 12 insertis diversum arbi-

f *Ariæ Mont. Aaron.*

g *Vid. Marbach. in Exod.* 28.

arbitrantur, sed per has duas voces ostendi lucem, splendorem, & perfectionem gemmarum docent. Alij lucidissimos lapides duplicitati ejus inclusos existimant. Arias autem non lapides, aut rem quamlibet humano artificio comparatam, sed mysticum quid divinitùs missum pectorali inclusum statuit. Hoc pectorale item ornabatur duodecim gemmis in quatuor ordines distributis, in quibus duodecim filiorum Israël nomina erant incisa. Porrò in angulis ejus annuli fiebant, ex quibus duo superiores catenis aureis connectebantur cum annulis amiculi in humeris collocatis, duo inferiores vittâ hyacinthinâ jungebantur, annulis eâ parte ipsius amiculi affixis, quam baltheus ambibat. Si cui in votis sit lapidum horum nomina cognoscere, consulat textum: sin autem eorum singulas virtutes, legat Ariæ Montani Aaronem, Erasmi scholium in Hieronymi epistolã ad Fabiolam. Et Marbachium in Exod. 28.

Supra dictis ornamentis addi potest lamina illa aurea, quæ hyacinthinâ vittâ constricta deserviebat ad implendam illam aperturam mitræ, de qua modò diximus, ita vt fronti Pontificis immineret. Fiebat ex auro purissimo, non ad modum lunæ corniculatæ (vt multi volunt) habentis cornua superiùs, & conuexum inferiùs; sed in formam semicirculi & dimidiatæ coronæ, quæ protendebatur ab aure in aurem transiens super frontem: dici potest *aureum frõtale*: Huic sacrum illud elogium erat incisum, *Sanctitas Iehovæ*.

CAP. 7.

De typica vestium sacerdotalium significatione.

Omnia quæ habentur in ratione vestium sacerdotalium, non sunt temerè & sine delectu trahenda ad mysticam significationem: nugas agit, quisquis hoc nititur. His præcipuè significabatur officium Mediatoris nostri: subindicabantur etiam sanctitas & doctrina, quæ requiruntur in omnibus sacerdotio fungentibus. Non enim contemnenda est [h] Marbachij observatio, qui per tintinnabula aurea tunicę appensa, intelligi sonoram vocem sacerdotis, quâ prædicatur Evangelium; per malogranata alternatim posita, fragrantiam bonorum operum docet. Item ex eo quòd pontifex gestabat nomina omniũ tribuum superhumerali alligata, docentur pastores precibus coram Deo intercedere pro tota ecclesia; ita vt non sua ipsorum salus solummodò, sed salus vniversi populi illis curæ esse debeat. Sed cùm harum rerum veritas præcipuè in Christo reperiatur, pauca hæc de mysterijs ad sacerdotes spectantibus leviter delibâsse sufficiet. Ad Christum ergo quod attinet, sub pontificali vestitu mysterium altum & sacrosanctum, nemo dubitat; his ornamentis qui negat triplex officium mediatoris nostri, Propheticum, Sacerdotale, & Regium adumbrari, sub luce meridianâ planè cæcutit. Vt autem vno fasciculo rem totam cõplectar: *Prophetiam* adumbrabant pallium, tintinnabula, & malogranata dependentia; sonus sui verbi, quasi

h *Marbac. in Exod. 28.*

quaſi ſonus tintinnabulorum aureorum noſtras quotidiè pulſat aurès, ſuâ doctrinâ veram & ſalutarẽ conſolationem omni cordi ſitienti attulit. Cœpit ille *docere* & *facere* *Act. 1. 1. Docere*, illic ſonus tintinnabulorum exauditur; *Facere*, illic fragrans bonorum operum odòr percipitur: in vtroq; propheticum munus pulchrè refulget. *Sacerdotiũ* ſignificabat lamina illa aurea, cui inſculptum *Sanctitas Iehovæ*; erat hæc ſuper frontem Aaronis, vt portaret Aaron iniquitates eorum, quæ ſanctificârunt filij Iſraël in cunctis muneribus & donarijs ſuis. At verò nemo poteſt meliore jure, illud elogium in fronte geſtare, quàm ipſe Chriſtus, qui verè *Sanctus Domini* erat, ſolus non novit peccatum, ſolus languores noſtros in ſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Cidaris impoſita capiti *regnum* non obſcurè indicabat; erat enim illa auguſtum quoddam majeſtatis ſymbolũ; jure igitur Chriſtus à propheta vocatur *Iſaiæ, 9. princeps pacis*. In amiculi & pectoralis geſtatione, Dominus nos cõmonefacit de amore & ſolicitudine Chriſti pro eccleſia ſua; illam enim geſtat in pectore. i. ardentiſſimo cordis affectu amplectitur; geſtat etiam in humeris, i. ſine labe & macula eam ſemper ſiſtit coram Deo & patre noſtro. Verè igitur Dominus noſter Jeſus Chriſtus fidelis noſter *pontifex* eſt, qui ſemper vivit ad interpellandum pro nobis.

CAP.

CAP. 8.

De judicijs.

VT totus processus causas & lites agitandi corã judice explanatè evolvatur, hæc quatuor ordine seorsim disquirenda sunt. Primò dicendum de judicio ecclesiastico & seculari: 2° de diversis secularis judicij generibus: 3° de modo, quo lis intendi & componi debebat: quartò de diversis pœnarum generibus.

Quod Deus duplex in vet: populo judicium constituerit, ecclesiasticum nimirum, & politicum, omnes propemodùm confitentur, & ex multis argumẽtis, minimè obscurum aut dubium reddi potest. Ne longiùs abeamus, ex *Deut.17.12.* non solum judiciorum, sed etiã judicum distinctio nullo prorsus negotio elicitur, cùm dicitur, *Qui non obedierit sacerdoti, qui stat vt ministret coram Iehoua, aut iudici, &c. Sacerdos* itaq; & *iudex* διακριτικῶς nominantur. Et in hanc sententiam multa alia loca produci possunt. Iosaphatus, *2.Paral.19.* euidentissimè vtrumque Consistorium distinxit, cùm rempub. ciuilem & ecclesiasticã jam collapsam instauraret; primò singulis ciuitatibus seculares judices præfecit, penes quos esset potestas cognoscendi causas, & expediendi lites ciuiles inter actorem & reum; tum demum consessum ecclesiasticum conscripsit, cui munus dijudicandi in rebus & controuersijs ecclesiasticis dabatur. Imò aliquando lites ciuiles in hoc consessu componebantur, nimirum

nimirum quando de iure aut legis alicuius interpretatione non poterat conuenire inter iudices seculares: quo quidem in casu, vel ipsi seculares iudices Hierosolymā veniebant consultum sacerdotes, et hoc synedrium ecclesiasticum; vel partes litigantes eò remittebantur. Et ne quid ad plenam distinctionem horum judiciorum desiderari posset, nominat supremos judices & præfectos vtriusq; consistorij. Amarias præerat negotijs ecclesiasticis, & operam dabat, ne in fide & ceremonijs peccaretur. Zebedias autem in negotijs regis aut politicis, reliquis præficiebatur. Vtcunq; res Iudæorum à temporibus Antiochi Epiphanis turbatæ erant, adeóq; ipsa administrandi juris formula confusa, possunt tamen in nouo Testamento reperiri quædam vestigia & rudera, ex quibus fuisse adhuc per illud tempus distincta judicia, quamuis hebetatâ autoritate ipsorum, demonstrare promptū est. Nam *Mat.25.3.* item *Mat.21.23.* & pluribus in locis, seniores populi, & seniores sacerdotum distinctè nominantur, [i] vt eâ etiam tempestate judicia distincta fuisse cognoscamus. Consistorium ecclesiasticum constabat solis Leuitis, quorum munus & officium, *Leuit.10. vers.9.10.11.* describitur, horumq; jurisdictio à ciuili discernitur manifestissimis verbis. Constituti enim dicuntur, vt discernerent inter sanctum & profanum, immundum & mundum; item vt legum forensium sanam & sinceram interpretationem redderent: ac proinde etiam responsionem dabant in causis de jure controuersis, vbi lex Dei obscura aut ambigua esset, vt non constaret inter judices ciuiles de sensu genuino. A tempore Salomonis, ve-

i *Iunius analyt. expos: Deut, 17.*

risimile est, præcipuos in consessu fuisse principes illos sacerdotum, qui vicenis quaternis sacerdotum classibus singuli singulis præerant; penes hos puto fuisse potestatem *extra synagogam faciendi* .i. ex piorum cœtu profligandi, & excommunicandi homines. Nam illud [k] *Dic ecclesiæ*, non potest intelligi de consessu seculari, sed ecclesiastico potiùs. Cæterùm vtriusq; consessus *causæ*, pariter & *personæ* euidentissimè distinguuntur, *Ierem.26.vers 8. &c.* Ibi enim sacerdotes & pseudoprophetæ vnà cum populo, hoc est, consistorium ecclesiasticum mortis sententiam pronunciabant in Ieremiam: Ahicam autem vnà cum principibus Iudæ & senioribus considebant in porta, & ciuile instituebant judicium, eripiebantque Ieremiam è manibus sacerdotum, eumque absoluebant.

k *Mat.18.16.*

Consistorium politicum primò instituebatur ab ipso Deo, *Num.11.16.* Constat ex *Mat.5.22*, illud fuisse duplex; maius, quod Hierosolymis semper manebat; & aliud minus, quod sparsim per civitates celebriores erat constitutum: illud Latinus interpres reddit *Concilium*, hoc *Iudicium*. In hanc sententiam interpretes [l] plæriq; scribunt, quando exponunt *Matthæum 5.22.* vbi dicit, *Quicunque irascitur fratri suo temerè, tenebitur Iudicio: quicunq; verò dixerit fratri suo Raca, tenebitur Concilio.* Concilium de singulis tribubus ex æquo fuisse constitutum putat [m] Franciscus Iunius, nimirum è singulis tribubus senos cooptatos, exceptâ solâ Leuiticâ tribu, è qua quatuor solummodò fuisse accitos sentit: ita vt totum Concilium ex septuaginta senioribus, quorum collegium Thalmudistæ

l *Sigonius de rep.Heb.lib.6. cap,5. Perkinsonus & Piscator in illum locum,*

m *Iunius analyt.expos. Num. 11.*

distæ vocârunt *Sanhedrim*, constaret. Inter hos consi-debat aliquis supremus judex, qui Mosis personam referret; illum appellârunt [n] *Nasi*, & *Synedrij caput*; vnde aliquando totum concilium dicitur consessus judicum 70. aliquando 71. imò non rarò 72. quoniam scilicet ipse Pontifex etiam his vnà assidebat. Institutis jam regibus, pro libidine ipsorum ratio consilij mutabatur, & paulatim res eò deuenit, vt nulla certa tribuum ratio haberetur. Tandem verò, ex quo reduces Iudæi ex Babylonia facti erant, tum ratione familiæ Dauidis, ad quam regnum hæreditario jure pertinebat; tum verò propter Dei promissiones in Dauidicam tribum amplissimas, magnus hic senatus ex familia Dauidis maximè fuit constitutus: & hic ordo ad Herodis vsq; tempora perdurauit, qui rex factus [o] totum hunc consessum è medio sustulit, ne quid prorsus residuum maneret de stirpe Dauidis, quâ superstite viderat posse esse periculum de regno, cujus gubernacula jure hæreditario, vt diximus, penes Dauidicam familiam esse debebant. Huic consistorio non absimilis est celebris illa Curia Londini habita, quam *cameram stellatam* vulgus appellat. Horum septuaginta tribunal summum & amplissimum erat, à quo nulla erat ad aliud prouocatio: non solùm sub ducibus & regibus judicandi potestatem exercuerũt, verùm nullo etiam duce aut rege existente, horum autoritas perdurauit. Sub judicibus autem (quorum in summis tantùm reipub: angustijs extraordinaria fuit prouincia, quemadmodum Dictatorum apud Romanos) ordinaria gubernatio penes hoc concilium erat. Consistorium minus, quod proprio nomine

[n] *Casaubon. ad annal. Bar. exer.* 13.5. *Ioseph. antiq.* 4.8.

[o] *Joseph. antiq. lib.* 14. *cap.* 17.

ne *Iudicium* appellabimus, duplex erat; alterum triũ-virorum, qui de rebus levissimis, [p] de pecunijs & bonis mobilibus cognoscebant; alterum viginti tribus constabat judicibus, qui res graviores, putà capitales dijudicabant: Per capitales autem non semper debet intelligi vltimum supplicium, sed aliquando exilium, quo scilicet caput .i. civis eximebatur à civitate; quãvis non nego vitæ & mortis potestatem in illorũ manibus positam fuisse. Quin autem si de rebus capitalibus licuit his ferre sententiam, quæ igitur causæ in foro illo majori, seu concilio Hierosolymitano agitabantur? Responsio facilis est ex Thalmudistis, qui assignant res non nisi gravissimas huic foro, sic enim dicunt: [q] Nemo judicabat tribum totam, sceptrum, pseudoprophetam, aut sacerdotem magnum, nisi domus judicij 72 judicum, &c. Item cognoscebãt omnes appellationes à Iudicijs inferioribus.

p *Car Sigon. de rep. Hebr. lib. 6. cap. 7.*

q *Zepperus de leg. Mosaic. li. 5. cap. 4.*

Cæterùm de forma intendendi & repellendi criminis si quis sit cõjecturæ locus, [r] placet Sigonio eã sic describere. In *concilio* qui nomen deferre alterius cupiebat, is fermè aut regem, aut pontificẽ, aut principes adibat, reumq; denunciabat: quo facto, illi ministros ad hominem capiendum mittebant, eumq; ad se adductum fermè in carcere habebant, donec de illo dijudicaretur: Inde vniverso convocato *Concilio* opera cognitioni dabatur. Intendebatur ab actore crimen & pœna his verbis: *Iudicium mortis est viro huic, quia hoc, aut illud fecit.* Repellebatur autem à defensore, his: *Iudicium mortis non est viro huic, quia illud non fecit, aut quia iustè fecit.* Vbi verò perorata vtrinq; causa esset, tum suffragijs judicum res agebatur, & pronu-

r *Car. Sigon. de rep. Heb. lib. 6. cap. 7.*

numero sententiarum reus vel absolvebatur, vel causa cecidit. Ex hac formula in *concilio*, licet cõijcere de formula vsitata in minoribus *iudicijs*; vbi autem respub: Judæorũ tributaria facta erat Cæsari, & in provinciæ formam redacta, videtur concilij hujus autoritas fuisse hebetata, [f] ita vt non possent vltimâ pœnâ quempiam multare, nisi accedente suffragio Romani præsidis: & hanc ob causam postquam *concilium* hoc Christum morti addixisset, mane proximo sub ortũ solis decernebat eum sistendum coram tribunali Pilati, vt inde ad crucem traheretur. Locus, in quo jus dicebatur, erat ipsa cujusq; civitatis porta, quod scripturæ passim testantur: vnde valet porta in sacra pagina, perinde atq; tribunal, curia, vel senatus: idq; hac ratione factitatum erat, vt rustici scirent jus non minùs illis patere, quàm civibus & vrbanis: item vt judices monerentur summâ integritate causas tractare; ex eo enim quòd judices cõsidebant in medio aliquo loco, quasi in communi cẽtro, quò vtriq; populo rustico & vrbano pari jure licuit confluere, docebantur judices causas præsertim inter rusticos & vrbanos quasi in æquilibrio ponere, & neutri favere, nisi quæ præponderet alteri. Pœnæ, de quibus est vltimo loco agendum, erant vel capitales, vel non capitales: capitalium, quę vitam adimebant, quatuor species fuerunt in populo Dei, quæ vsq; ad eversam ab Herode politiam Mosaicam obtinuerunt, nimirum *lapidatio, incendium, suspendium, & gladius*.

Ex Thalmudistarum sententia forma lapidationis erat hujusmodi: [t] lapidandum educebant ad locũ supplicij, & præco antecedebat eum, dicens: *Vir ille filius*

[f] *Joan.18.31.*

[t] *Paul. Fagius in Thargum Onkeli. vid. Zepper. de legib. Mosaic. lib.5. cap.9.*

istius egreditur, vt plectatur tali morte, eò quòd tale peccatum admiserit, illo tempore, hoc in loco, & isti sunt testes eius. Quisquis igitur est, qui novit aliquid, quod illi bono esse potest, veniat vt indicet. Locus lapidationis altitudinē habebat duorū cubitorū, ad quē reus vinctis manibus ascendebat; illū alter testium præcipitē dabat è sublimi, ex qua præcipitatione si non fuit mortuus, elevabant testes lapidem ibidem jacentem, habentē pondus duorum hominum, quem alter testium super eum projiciebat. Quòd si nè sic quidem mortuus fuit, tunc demum accessit totus Israel, & lapidavit eum, juxta illud: [u] *Manus testium erunt in eum primùm ad occidendum eum, deinde manus vniversi populi.* Supplicij locus erat extra civitatem, quasi rei haberentur indigni, qui spiritum efflarent intra mœnia: deinde illos foràs extrudendo, populus testabatur, se malum velle tollere è medio sui.

[u] *Deut.17.7.*

Incendij vel ignis lex secundum eundem Paulum Fagium hæc fuit: Immergebatur reus in stercus vsq; ad genua, dein applicabatur mappa collo ejus, quæ à duobus vtrinq; trahebatur, donec spirandi necessitate coactus, os suum hiatu aperiret, cui mox candens metalli stylus immittebatur, qui præcordia & viscera exurens, vitam illicò adimebat.

In ligno suspendere Græci dicunt ἀνασκολοπίζειν ,i. palo affixum tollere; item ἐξηλιάζειν .i. soli exponere, cujus vocis ratio peti debet à verbis Domini *Num.25,4.* vbi præcepit Mosi suspendi eos contra solem, hoc est, in conspectu omnium. Rabbini tradunt lapidatione obrutos hujusmodi suspendio posteà multari; nō vt augeretur cruciatus, quem post mortem sentire

non

non poterant;sed vt majori ignominiæ obnoxij essent, vtpote à Domino maledicti, quia pendebant in ligno. *Suspendium* differebat à crucifixione;nam hæc crucis pœna erat olim Romanorum propria, nec ante Christi adventum in vsu apud Judæos:[x] vnde Cōstantinus M. quando hoc genus pœnæ sustulit ex vsu judiciorum, eam appellabat τιμωρίαν νενομισμένην Ῥωμαίοις, pœnam *Romanis* vsitatam. Et hoc argumento Rabbini vtuntur, vt historiæ Evangelicæ de Christi passione fidem detrahant, dicentes, non fuisse morē in Israele, vt clavos figerent in pedibus aut manibus hominum, qui lapidati aut suspensi fuissent. Quin autem veritas Evangelica manet inconcussa, & Rabbini cadunt; nam supplicij hujus forma, non ab ipsis Iudæis, sed à Pilato Romano fuit Domino nostro irrogata.

x *Sozomen. lib. 1. cap. 8.*

Gladio in reum animadvertere putat [y] Zepperus nihil aliud fuisse, quàm vt vel ipsi judices & reges immediatè plectendos confoderent gladio; vel servis suis mandarent, vt in reos irruentes, ipsos percuterent: Vtriusq; generis exempla videre est, *1. Sam. 15. 33. item 1. Reg. 2. 29. item 1. Sam. 22. 17.* At verò hæc exempla sunt extraordinaria, nec in his observabatur ordo criminis intendendi, vel repellendi coram judicibus. Verisimilius mihi videtur, per *animadversionem cum gladio* debere intelligi, illud genus supplicij, quod Græci vocant ἀποκεφαλισμὸν, *capitis truncationem*: quali supplicio Joannes Baptista afficiebatur: ἀπεκεφάλισε τὸν Ἰωάννην, Herodes *decollavit* Ioannem, inquit Evangelista, *Mat. 14. 10.*[z] Perkinsonus videtur idem existimâsse; nam cùm enumeret diversa suppliciorum

y *Zepper. de legib. Mosaic. lib. 5. cap. 9.*

z *Perkinson. in Mat. 5. 22.*

ciorum genera apud Judæos recepta, hoc quod nos appellamus *occisionem per gladium*, ille reddit Anglicè A beheading: & [a] Casaubonus vertit Hebræam vocem *decollationem*.

[a] *Casaub. ad annal. Bar. exercit. 16. 77.*

Quòd quatuor erant genera suppliciorum, inter Rabbinos & plærosq; omnes interpretes convenit; discrepant autem in enumeratione illorum; nam loco *suspendij* ponunt nonnulli *strangulationem*: imo Rabbi Salomo in *Exo. 21. 16.* [b] docet semper *strangulationem* in scripturis intelligi, vbi quis simpliciter interfici jubetur, non additâ specie mortis vel supplicij. Hîc igitur non alienum erit subnectere formam strangulationis, quam sic describit P. Fagius. Strangulandus imponebatur in stercus vsq; ad genua, injectâ scilicet mappâ in collum ejus, quam duo, hinc & hinc, ad se trahebant, donec ille efflaret animam. Hactenus de supplicijs gravioribus seu pœnis capitalibus, sequuntur non capitales. Pœnæ non capitales erant huiusmodi. Primò *restitutio*, vt si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit, vel vendiderit, quinq; boues pro vno boue restituet: *Exod. 22.* Secundò *venditio*, vt *Exod. 22.* si fur non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur. Tertiò *talio*, eaq; simplex, quam Pythagoricam vocamus, quando per identitatem damni, non per similitudinem aut analogiam fit retaliatio. *Reddet animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo, &c.* Quartò *membri* alicuius *amputatio*: Mulieris enim, quæ viri alterius verenda tetigerat, manus abscindi jubetur. *Deut. 25. 11.* Quintò *verbera*, seu fustigatio; modus huius fustigationis habetur, *Deut. 25. 3.* *Quadraginta*

[b] *Vid. Zepper. de leg. b. Mos. lib. 5. cap. 9.*

plagis

plagis percutiet eum, nè addito. Ex hypothesi lex fertur, vtpote si quis improbus pro ratione maleficij sui dignus sit, qui plagas ferat corpore, provt causa exegerit, leniùs aut grauiùs puniatur; sed non amplius cædito, quàm quadraginta plagis; ideóq; diligenter obseruandum est, quòd prius illud membrum, nempe, *quadraginta plagis cædet eum*, non erat jubentis, quasi quisquis ferulam fuerit commeritus, quadraginta plagas ferret; sed definientis, nè judex hunc numerum excederet. Quapropter solenne fuit Iudęis olim, vt quoties plagæ quadraginta permissę erant, infligerent triginta nouem, ne fortè per imprudentiam contra legem Dei committerent: hunc ritum Paulus annotauit *2. Cor. 11.* quùm diceret, se quinquies à Iudæis plagas quadraginta vnâ minus accepisse. De mulctis, & carceribus, & alijs id genus, nihil est cur multa dicam, quia hæc omnia sunt ex se satis nota.

CAP. 9.

De mensuris Hebraicis.

MEnsurarum reperio in sacra pagina duo genera: vnum *applicationis*, cujusmodi erat pollex, palmus, pes, &c: alterum *capacitatis*; & hoc iterum duorum generum; vel erat ejusmodi quo *arida*; vel quo *liquida* solummodo expediebantur. De his ordine, quo proponuntur, breviter dicetur.

De mensuris applicationis.

Prisca ætas curam adhibuit quam potuit maximã in mensuris excogitandis, quæ ne incertæ, aut sibi dispares vsquam locorum, vel temporis vnquam reperirẽtur, diligenter cauit: eáq; propter, vt omnes omnium gentium & ætatum mensuræ, pares inter se, & sibi constantes permanerent, [c] primam æstimationẽ in his *mensuris applicationis*, & *ponderibus*, ab hordei granis; in *mensuris capacitatis* autem, ab ovorum gallinaceorum testis petebat.

d Arie Mont. Thubal-Cain.

Prima notabilis mensura, quæ formam certam sortitur, est *pollex:* [d] continet sex hordei grana simul conjuncta eâ parte, quâ crassiora sunt: pro eo plerunque apud interpretes ponitur *digitus*, sed rectè docet [e] Franciscus Junius levem aliquam esse differentiam inter has duas voces, ita scilicet vt *quatuor digiti* constituant *tres pollices*. Dicitur Heb. *Esbagh*. Anglicè An ynch.

e Arias Mont. ibid.

e Fr. Iun. annot. in Ezech. 40.5.

Palmorum [f] duo erant genera apud Hebræos, *minor* & *maior*. Palmum minorem constituebant quatuor digiti lati: Palmus major erat mensura, quæ digitis expansis notatur, ab extremo pollicis vsq; ad minimi digiti extremũ. Hebræi vocant minorẽ *Taphahh*, nos 3 ynches; Majorem illi *zereth*: nos A span.

f Arias Mont. Thubal-Cain.

Pes continebat quatuor palmos, inquit [g] Petrus Martyr, quod intelligendum est de palmis minorib[9]. Dicitur Hebraicè Pagham, quæ vox propriè pedis vestigium significat.

g Pet. Martyr. 1. Reg. cap. 6.

Cubitorum [h] tria erant genera: vnum *ordinarium*, quod

h Pet. Martyr ibid.

quod Arias appellat *legale*, Hebræi Emah, continebat pedem vnum cū dimidio: digitos autem viginti quatuor, Anglicè dicimus. A cubit, halfe a yard. Alterum *Regium*,[i] cui tres digiti addebantur, quod apud multos olim erat in vsu, teste Herodoto. Tertium Geometricum, quod continebat ordinaria cubita sex: In constructione arcæ Nohæ arbitrantur ejus mensurā adhibitam, Anglice, three yards.

[i] Herodot. lib. 2. in descript. Babyl.

Cane[k] continet longitudinem sex *Emoth* cum *Zereth*. i. sex cubitorum legalium cum dimidio. Atq; hic est calamus mensurę ab Ezechiele indicatus: *In manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmi* scilicèt majoris, *Ezechi. 40. 3.* Eâdem voce vtuntur Hebræi & Latini: Anglicè, three yards and a quarter.

[k] Ariæ Mont. Thubal-Cain.

His interserere liceat quasdā mēsuras, quæ in vsu erāt apud illos, qui ambulationibus, prędijs, & agris metādis operas dabant. Harum simplicissima erat *Tsagad*: quam interpretes passum, seu gressum exponūt. Hujus observatio fit *2. Sam. 6. 13.* Cùm transcendissent qui portabant arcam Domini, *sex passus*, immolabant bovem, & ovem, & arietem. Dicitur Angl: A pace.

Stadium definiebant[l] centū & viginti quinq; passus, vnde elicitur illud fuisse octavam milliaris nostri partem. Hujus mentio fit *Ioan. 11. 18.* vbi dicitur Bethaniam fuisse prope Hierosolymā stadijs ferè quindecim. Non me latet alia stadia fuisse ducentorū pedum,[m] quale dicitur fuisse primum stadium, quod in Olympo cursu fecit Hercules. Angl: a furlong.

[l] Calvin. in Joan. 11. 18.

[m] Jansen. conc. Evang. cap. 58.

Berath, interpretes ad vnum omnes exponunt milliare. Milliare autem nō à mille passibus quemadmodum nunc, sed a mille cubitis olim dicebatur.[n] Milliare

[n] Cambius in Ezech. 48. 2. vid. Ariæ Mont. Thubal Cain.

are vnum mille *Emoth* continebat, inquit Camhius: quod de nostro est milliaris vnius quadrans & quinquaginta passus.[o] Non desunt qui statuunt, quòd *Berath* significat iter dimidij diei, vel illud spatium viæ, quod iter facientes vsq; ad prandij horam conficiunt: idq; colligunt ex notatione Hebraïcæ vocis, quæ prãdium significat.

o *Pet. Mart.* in 2. *Reg.* 5.19.

De mensuris capacitatis.

In mensuris cauis prima æstimatio à capacitate ovorum gallinaceorum sumpta erat, vt prædiximus. *Quarta Cabi pars*, quæ erat harum mensurarum minima,[p] capiebat sex ova: dicitur Hebraicè *Robeagh*. Hujus fit observatio *2. Reg. 6. 25.* vbi narratur famem adeò invaluisse Samariæ vt *quarta pars Cabi* columbini stercoris quinq; argenteis constaret. Angl. halfe an ale pint.

p *Pet. Mart.* in 2. *Reg.* 6.25.

Cabus capiebat seminis & aridorum portionem,[q] quantam ova viginti quatuor capere possunt, juxta quam metiendi rationem, prorsus convenit cum mẽsura illa, quam Angli vocant, An ale quart.

q *Arie Mont.* *Thubal-Cain.*

Gomer[r] vnum cabum cum dimidio, & quintam cabi partem capiebat; quintâ plus continebat, quàm tres cervisiariæ pintæ cum dimidio. Hujus mensuræ frequens est mentio in sacris literis. Anglicè, three ale pintes and halfe.

r *Arias Mont.* *ibid.*

Satum nomen Syrũ est, significans mensuræ quoddam genus, cui apud Hebræos respondebat *Seah*, quã dictionem D. Hieronymus in vet. Testamento aliquando vertit *satum*, aliquando *modium*. De hâc mensurâ

surâ legitur, *1. Reg. 18. 32.* Et ædificavit ex lapidibus altare in nomine Jehovæ, fecitq; aquæ ductum, secundùm locum *duorum satorum* sementis in circuitu altaris.[s] Continebat, vt volunt Rabbini, centum quadraginta quatuor ova. A gallon and halfe, ale measure.

Epha [t] tria continebat sata, hæc erat illa mensura hordeorum, de qua agitur, *Iud. 6. 19.* quam Gedeon in panes coxit, angelo se allocuto proponendos. Secundùm superiorem mensurandi rationem, halfe a bushell and two ale quarts.

Lethec, testante [u] Epiphanio, significabat quindecim modios. i. sata: his enim duabus vocibus promiscuè vtitur. [x] Appellationem habet secundum Hebræorum linguam ab elevatione, ex eo quòd possint ab adolescente quindecim modij elevari, & asino imponi. Continet de mensuris nostris, Three bushels and an halfe per the Winchester.

s *Vid. Pet. Mart. in 1 Reg. 18.*
t *Arias Mont. Thubal-Cain.*
u *Epiphan. de mensuris & ponder.*
x *Epiph. ibid.*

De mensuris liquidis.

Log, *logium* seu *lagena* in vino & oleo ejusdem omnino mensuræ rationem sequebatur, quam Robeagh in aridis demetiendis habere observavimus. [y] Capiebat scilicet quantum sex ovorum gallinæ communium testæ. [z] Hæc mensura erat eadem cum *sextario Attico*, quem ob id *sextarium* dictum volunt, quòd *sexta pars esset congij*. *Congius* autem hâc ratione capiebat de vinarijs nostris mensuris A pottle.

Hin celebris erat mensura, cujus frequens erat vsus in sacrificijs, ad expediendas justas vini & olei mensuras. [a] Capiebat quantum septuaginta duæ ouorum gallinaceorum testæ, hoc est, secundùm mensuras nostras

y *Arias Mont. de Batho.*
z *Iansen. conc. euang. cap. 19.*
a *Franc. Iunius annot. in Exod. 29. 40.*

ſtras vinarias, A Gallon.

b Epiphan. de menſur. & ponder.

c Ezec. 45.11.

d Janſen. conc. Euang. cap. 95.

Bathus [b] erat vas in officina olearia [c] eiuſdem capacitatis cum Epha. Huius fit mentio, *Luc. 16.* in parabola illa de villico iniquo, vbi loci Hieronymus vertit Ἑκατὸν βάτους, centum *cados*, vndè rectè colligit [d] Ianſenius eandē fuiſſe capacitatem vtriuſq; .i. *Bathi* & *Cadi*. Id ipſum indicat Hieronymus in *Ezech.* 45. Decima pars cori, inquit, in ſpeciebus liquidis vocatur *Bathus* ſiue *Cadus*. Sic enim legendum puto, cùm libri habeāt *vadus* pro *cadus*. Hæc eadem menſura dicitur etiam [e] *metreta*; continet de ceruiſiarijs noſtris menſuris, Foure gallons and an halfe.

e Ianſen. conc. Euang. cap. 19.

f Ianſen. conc. Euang. cap. 59.

g Epiphan. de Menſ. & pond.

h Ariæ Mont. Thubal-Cain.


Corus, [f] qui & *Hhomer* Hebræis dicitur, continet [g] modios, hoc eſt, [h] ſata triginta. Appellationem habet ex argumento collis, inquit Epiphanius: *coris* enim vocatur collis, inquit, & triginta modij in collem & aceruum collecti faciunt onus cameli, ita ſcilicet, vt camelarius vnà coequitet, ſic enim expono Epiphanium: nam procul dubio triginta modij non confecerunt juſtum onus cameli: non magis quam Lethec confecit juſtum onus aſini, quod [i] Arias aſſerit; cùm tamen ex Epiphanio oſtendimus, Lethec ab eleuatione nomen accepiſſe, quoniam eleuari, & aſino imponi ab adoleſcente poſſet. Quin autem de *coro* agitur *Luc. 16.* vbi Dominus noſter laudat diſpenſatoris prudentiam, qui debitoribus pro tot coris in ſuis chirographis tantum tranſcripſerat. Huius menſuræ vſus erat non ſolùm in liquidis, ſed in aridis etiam expediendis. De rebus aridis capiebat, Fiue buſhels and halfe a pecke Winchester. De liquidis, Fortie fiue gallons ale-meaſure.

i Arias loco allegato.

NVM-

NVMMI DE QVIBVS MEMINIT SAcra pagina collati cum ijs, qui hodiè Anglis *sunt in vsu.*

Hebræorum.	Athenienſium.	Romanorum.	Anglorum.
	Nummi argentei.		
Keleph, Argēteus, Siclus ſanctuarij, Didrachmum.	Stater.		2.s—6.d.
Siclus Regius.	Didrachmum.		1.s—3 d.
Triens Sicli			10 d.
zur, zura, quadrans ſicli.	Drachma, Argenteus.	Denarius.	7.d.—ob
Hemitan, Gherah, Agorah.	5ª pars drachmæ.		1.d—ob.
	Nummi ærei.		
	ἀσσάριον.	Aſſarius.	q'—q.
	κοδράντης.	Quadrans.	q—c.
	λεπτόν.	Minutum.	c $\frac{1}{2}$
	Nummi aurei.		
Zahab, ſiclus aureus, Adarcon, Drakmō.			15.s.
	Summæ.		
Mina argenti vetus.			7.l —10.s.
Mina argenti nova.			3.l. 2.s. 6.d.
Mina auri.			75.l.
Talentum argenti.			375.l.
Talentū auri.			450.l.



INDEX RERVM ET VERBORVM MAXIME INSIGNIVM.

A.

B.

C.

Bb Cir-

Porticus

R.

S.

N

O

P.

Porticus

Soli Deo gloria.



